



PETRI D'EBULO CARMEN

De

MOTIBUS SICULIS,

ET REBUS INTER

HENRICUM VI.

Romanorum Imperatorem,

Et

TANCREDUM

SECULO XII.

GESTIS.

Nunc primùm è Msc. Codice Bibliothecæ Publicæ Bernensis erutum, Notisque cùm Criticis tùm Historicis illustratum, cum Figuris edidit

SAMUEL ENGEL,

Supremi in Republica Helveto - Bernensi, ùt & Academici Senatûs ibidem Adsessor, & Bibliothecæ Publicæ Præfectus.



BASILEÆ,

Typis EMANUELIS THURNISII,

M DCC XLVI.

VIRO

PERILLUSTRI, MAGNIFICO,

CHRISTOPHORO STEIGERO,

REIPUBLICÆ BERNENSIS

IN

DITIONE GALLICA

QUÆSTORI,

SENATUS ACADEMICI

PRÆSIDI.

ILLUSTRIBUS, AMPLISSIMIS, REVERENDIS, atque DOCTISSIMIS

AD

EUNDEM SENATUM


DELECTIS VIRIS,

Venerationis & obſequii cauſa

D.

SAMUEL ENGEL.





Ndecimus jam labitur annus inde ab eo tempore, quô Bibliothecæ Publicæ gratissima cura mihi concredita est; exoptatum id certè mihi munus fuit, quod ea mihi in officium cesserint, quæ alioqui maximæ essent voluptati, Codicum nempè manu scriptorum, & pulcherrimorum librorum lectione atque accuratâ cognitione mentem oculosque pascere.

Verùm hæc mihi indè desideratissima felicitas potissimùm contigit, Tibi Vir Perillustris,

& Amplissimis Collegis, quorum Ordini Summus Magistratus me nuper adscribere dignatus fuit, propius innotescere, Tibi*que obsequium meum adprobare, qui non Illustrissimô magis quàm Sapientissimô & Optimô* Patre *procreatus, quique non Nominis magis Paterni, aut Honorum, quam Virtutum hæreditatem ad Te pertinere existimavisti, atque amorem omnium non solô Natalium splendore, non Muneris, quod geris, amplitudine, sed benè de singulis merendô,* Tibi *comparandum putasti.*

Exiguum opusculum, flosculum quondam inter medias Barbari Seculi spinas enatum, atque inter Bibliothecæ Publicæ Codices repertum, Vobis Viri Amplissimi, Doctissimi, *offero, & vindico Posteris: felicem meum reputabo laborem, si* Vobis *non displicebit, aut Ipse, aut perpetuus* Vestrarum *Virtutum & Clarissimorum in Re publicâ* Nominum *Admirator atque*

Obsequiosissimus

EDITOR.



L. S.



DE nimia imò immenſa Librorum multitudine jam dudum conqueſti fuerunt Viri graves & eruditi: nec id mirum, cùm non hi ſoli, ſed maximam partem ſemieruditi orbem litteratum ſcriptis ſuis, omni ſæpè ſale carentibus, crambeque centies recoctâ refertis, vel de lana ſæpè caprina diſputantibus, obruerint. Poſtquam enim veterum Codicum exempla ferè omnia ex ultimis *Orientis* partibus ſollicitudine, ſumptibus ac providentiâ, omnium laudes ſuperante, Regum quorundam ſed inprimis *Chriſtianiſſimorum*, in noſtram *Europam* fuiſſent advecta, & in vulgus edita, nihil aliud ſupererat, quam ut illi, quos ſcribendi pruritus cepit, vel ex aliorum theſauris ſua depromerent, & ſic illaudabili furtô, vetera pro novis, aliena pro ſuis venditarent; vel pro egregia ingenii dexteritate, & omnigenæ eruditionis copiâ rem Litterariam orna-

ornarent, & illius terminos latius proferrent: Hi etiam soli sunt, qui ruiturum aliàs vastum omnium artium atque scientiarum *Olympum* humeris suis sustinent. Sunt alii contra, qui vel nativâ quâdam ignaviâ ducti, ab omni prorsus scribendi labore, licèt aliàs ab omni doctrinæ præsidio non essent destituti, abhorrent; vel præsentis futuræque ætatis judicia veriti, malunt in ignobili otio consenescere, quam pro summo labore, cura atque vigiliis, quibus Polygraphis vulgò insudandum est, præmii loco se aliis deridendos, ac suos ingenii fœtus, tam charos, tam diu elaboratos, obelô configendos propinare. Horum ego exemplum, tenuitatis meæ probè conscius lubens sequutus fuissem, nisi Viri quidam & authoritate & eruditione pollentes, etiam atque etiam à me efflagitassent, ut Codicem hunc, de cujus Historia ac Recensione mox agam, Reipublicæ Litterariæ non inviderem, sed ex densa nocte, in qua inde ab aliquot Seculis latuerat, in almam lucem producerem.

Codicis nostri Author est PETRUS D'EBULO, proùt id ex verbis, quæ in aversa ultimi folii pagina leguntur apparet: *Ego Petrus d'Ebulo* &c. de genere, conditione, & fortunâ multa verba facere, nihil attinet, quùm omnia, quæ huc pertinent, ob profundum scriptorum & æqualium & posteriorum silentium, in spissis tenebris sepulta jaceant. Et si vel vola vel vestigium hujus *Petri* alicubi extitisset, Celeb. *Fabricius*, qui id maximè in *Bibliotheca sua Medii & infimi Ævi* egit, ut horum Authorum nomina, vitam ac scripta quàm accuratè explanaret, hujus memoriam interire non passus fuisset; neque Rever. *Montfauconius*, quùm omnes & *Italiæ* & *Galliæ* Bibliothecas perreptasset, atque Indicem illorum Codicum manu exaratorum, quos magno numero perlustraverat, contexuisset, Nostrum omisisset; haud dubio indicio, Codicem

Codicem hunc vel similem, his Duum-Viris Reipublicæ Litterariæ constituendæ non visum, nec auditum fuisse. Patria Authori nostro EBOLUM esse videtur, oppidum propè *Salernum*; duplici ratione commotus in hanc sententiam abii; quod lib. I. v. 404. 405. Carminis sui *Ebolum*, *Dulce Solum* appellet, per quod, Patriam suam esse, indicare videtur; & v. 611. seq. ejusdem Libri *Eboleam Gentem* ob egregiam, erga *Constantiam*, fidem, & paratissimum pro Illa occumbendi animum, multis præconiis ornat; posterior ratio à nominis similitudine petitur: neque quemquam ab hac sententia avertat, quod Author noster vocetur *Ebulo*, oppidum verò *Ebolus*, nam litteræ O & V veterum Grammaticorum testimoniô, eam inter se adfinitatem habuerunt, ut sæpenumerò invicem sibi cederent, undè multas voces antiqui, modò per o, modò per v, pronunciarunt; quemadmodum *orna* pro *vrna*, *salvos* pro *salvus*, *fortona* pro *fortuna*, *adulescens* pro *adolescens*, *poto* pro *puto*: ùt id observat *Petr. Daniel* in Not. suis ad *Querol. Plauti.* Tempus, quô Author Carmen suum vel conscripsit, vel saltem Cæsari *Henrico* obtulit, mihi videtur in anno 1196. esse designandum, cùm in fine Codicis hoc *Distichon* adjectum legatur:

Annis minus quinque numeratis mille ducentis
Cæsar Regna capit, & sua Nupta parit.

Ex quo patet, annum 1195. jam præterlapsum fuisse, annô verò 1197. *Henricus* in Sicilia diem supremum obierit; ut ergo necesse sit, interjectô illô tempore, sive annô millesimô nonagesimô sextô, Poëtam Carmen suum Cæsari tradidisse: quod etiam *Figura* prima, quam Libro præfiximus, & quæ uti & 7. reliquæ ex *Authographo* delineatæ sunt, extra omnem dubitandi aleam ponit: Codex noster in Membrana scriptus est satis quidem eleganter: Prima pagina præ se fert duos primos ex Virgilii Æneide, Lucano,

cano, & Ovidii Metam. verſus, ad ſignificandum fortè Authorem ſeſe ad horum trium in re Poetica Principum exemplum atque imitationem totum compoſuiſſe; In averſa deinde hujus folii primi parte Opus initium capit, & deinde in tertia pagina, ſive prima pagina folii ſecundi Figura extat, & ſic ad finem usque Operis Figuræ cum Verſibus alternant; ſive ut clarius rem explicem, à ſiniſtra libri parte Verſus leguntur, à dextra verò Figura ex adverſum conſpicitur. Codicem duobus vel tribus in locis mutilum eſſe in Notis indicavimus. Ex multis & haud obſcuris indiciis collegimus, hunc Noſtrum librum illum eſſe, cui olim adeò beato eſſe licuit, ut potentiſſimo illius temporis Cæſari *Henrico* offerretur. Figuræ enim pro illius ætatis elegantia, vel potius ruditate, ſatis ſcitè pictæ. Litteræ, finem Seculi XII. apertè clamant, ac, tùm ſcriptas fuiſſe, teſtantur; ſed invictum ferè argumentum illud eſt, quod nullibi Apographum hujus Libri extare à quoquam unquam memoratum fuerit. Quò verò bonò fatò Κειμήλιον hocce in Bibliothecam noſtram Publicam illatum fuerit, nihil eſt, quod præter conjecturas, ſed eas ſatis veroſimiles, afferre valeam. Poſt obitum ſcilicet Henrici VI. Codex hic cum alia libraria cæteraque ſuppellectili in Sicilia relictus fuerat, unde inſequenti tempore ab *Andegavenſibus* Principibus, qui hæredes Regni evaſerant, in Galliam translatus, & in Celeberrima *Floriacenſi* vel alia Bibliotheca aſſervatus fuerat; & cùm ſuperioribus temporibus omnis Gallia ob Religionis diſſidium, & Principum diverſa ſtudia, inteſtinis bellis flagraret, Bibliothecæ paſſim magnâ cum cura olim conditæ, militum furori atque rapacitati erant expoſitæ: undè factum, ut Libri elegantiſſimi & rariſſimi in privatorum hominum manus concederent; Quicquid ſit, id pro comperto conſtat, illum in Bibliothecam *Jac. Bongarſii*, Viri non ſolùm ob varias ad Imperii Romani

Principes,

Principes, Legationes, sed etiam eruditionis atque elegantiarum Litterarum cognitione perillustris devenisse: cujus Illustrissimi Viri Bibliotheca cùm numero, tùm delectu aliis omnibus tum temporis longè præstabat, & ex *Floriacensis* & aliarum Bibliothecarum reliquiis atque ruderibus quasi erat collecta. Quousque verò fides Authori nostro sit habenda, & num omnia eò, quò ab Illô narrantur modò, atque ordine gesta fuerint? Non liquet: In multis certè reliqui Historici dissentiunt: sed cùm *Itali* scriptores haud obscurè odium suum ergo Germaniæ Principes testentur, *Germani* verò studium suum erga illos apertè præ se ferant, quis in tanta diversarum sententiarum & animarum dissidentium inconstantia, certi quid, in tam à nostra ætate remotis rebus, definire vellet? aut quis Authorem nostrum ab hoc vitiô, seu partium studiô immunem fuisse, cogitet? Id certum est, integrum Carmen in Cæsaris laudem fuisse compositum, ubi nihil dicere decuit, nisi quod placet, quod magnum, quod admirabile posteris, & gloriosum Heroi suo erat. Cæterùm multa narrat apud alios non obvia, nec fide indigna, quibus fortè, dum gererentur, ipse interfuit, ac ob singularem suam prudentiam & eruditionem, consiliorum Cæsaris particeps factus, multa perspecta habere potuit, quæ alios latebant: quod præcipuè ex litteris *Tancredi* ad *Sibiliam*, & ex hujus ad Illum, ac etiam ex *Cœlestini* ad *Tancredum* epistola probari abundè posset; unde ingens illud pretium, quod Codici nostro statuendum est, cognoscitur; sine hoc enim multa illius temporis gesta æternum nos laterent, quæ ab aliis vel prorsus prætermissa, vel obscurius tradita, ex nostro claram acceperunt lucem.

Occasio Librum hunc edendi hæc fuit: Cùm Anno 1736. Vir Celeberrimus *Hallerus*, Supremi nostri Senatûs Adsessor, M. Britan-

niæ Regis Consiliarius & Archiater, Agnatus meus & Amicus Longè desideratissimus, ad Academiam *Georgiam Augustam*, ut ibi artem Medicam publicè doceret, vocatus fuisset, Bibliothecæ nostræ Præfectura, quó munere ille tum fungebatur, mihi erat demandata, quó factó, libros cùm typis expressos, tùm manu conscriptos sæpè pervolutaveram, atque inter alios in hunc nostrum *Petrum* incidi, de quo ex longo quasi carcere liberando, atque in dias luminis auras emittendo statim cogitavi: Verùm ne errore aliquó me implicarem, ac editum dudum pro inedito libro publicarem, & sic me aliosque fallerem, de eo cum Eruditis primi Ordinis, & in hoc potissimùm studiorum genere exercitatissimis, agere cœpi, qui omnes uno ore, se nihil plane de hoc *Petro d'Ebulo* unquam vel fando accepisse, rescripserunt: quó nuntió excitatus, seriò & omni curâ ad illius Editionem animum meum adplicui, tantò id magis, quòd Vir Clarissimus *Schœpflinus*, Regis Galliarum Historiographus, & in Academia *Argentoratensi* bonarum Litterarum Professor toto orbe famâ celebratus, qui per aliquod tempus in urbe nostra morabatur, & librum hunc non sine voluptate sæpissimè manibus tractabat ac inspiciebat, me hortari solitus est, imò tantum non per bonum pulcherrimarum scientiarum Genium obtestari, quem nisi iratum vellem, Clientem suum manu mitterem. Accidit tum, ut, negotiorum causa, iter in Germaniam instituerem, quod antequam ingressus sum, primas Libri paginas exscribendas, figurasque aliquot delineandas curavi, ut harum rerum periti Judices experimentum caperent, quid de integro Opere statuendum sit: quá occasione cum multis in Germania Eruditissimis Viris consilium meum communicavi, inter quos verò unicum honoris causa nomino, Illustrissimum & omni mea laude majorem Dominum HENRICUM BUNAVIUM, S. R. I. COMITEM, quem nominasse satis est, quòd divina ejus

atque

atque immortalia merita cùm in Rem publicam Imperii Romani, tùm etiam in omnem rem Litterariam, ac præcipuè Hiſtoriam tanta ſint, quanta nullius unquam fuerunt hominis, quæque, quoad Litteris ſuis conſtabit, honos aut decus, nulla delebit dies, nulla oblivio ex hominum animis unquam revellet; Is inquam Celſiſſimus Comes, cùm me pro ſua humanitate perbenignè ac comiter exciperet, cujus rei cauſa, præter cætera ſua communia in omnes merita, me quoque perpetuum ſuum tantarum virtutum Cultorem devinctum tenet, non deſtitit Libri Editionem urgere, & ſe illius Fautorem atque Promotorem promittere: cujus Viri authoritate permotus Editionem quamprimùm conficiendam ſtatui, de modô verò, quô rem adgrederer anxius hæſi; Amici de hoc conſulti, in tres diverſas ſententias diſcedebant: Erant, qui putarent, Authographum, cùm in Verſibus tùm in Figuris, quàm accuratiſſimè typis eſſe exprimendum; alii, ut ſolos Verſus, relictis Figuris & Notis, vulgarem, & quidem in forma, quam vocant, octavam; ſed ab hac ſententia ideò ſtatim abhorrui, quòd Libellus ob ſuam parvitatem, vix enim præter Præfationem pauculis plagulis conſtitiſſet, illorum animos alienaſſet, qui majoribus, aut juſtæ ſaltem magnitudinis voluminibus delectantur; Tertiam, & quam quoque ſecutus ſum, ſuggeſſit ſententiam amicus & eruditione & ingenii perſpicaciâ inclitus, qui formam quartam ſuaſit, ſimulque ſeligendas aliquot figuras, quæ maximè ad Hiſtoriam conducerent, atque ſubjiciendas Notas & Criticas & Hiſtoricas, admonuit. Hujus ergò ſapienti, ùt mihi tum viſum fuerat, obtemperavi conſilio, quod ſi humaniſſimus Lector illud quoque ſuô probaverit calculô, ſublimi feriam ſidera vertice; Tandem illud quoque adjiciendum cenſui; me, gravioribus curis implicitum, Eruditiſſimum Virum *Hieronymum Stettlerum*, Scholæ *Bernenſis* Conrectorem, cùm ab omni, tùm

 ab

ab hac præſertim Litteraturæ doctrinâ liberaliter inſtructum, in contexendis Notis maximè ſæpius ſublevaſſe, quæ hâc præcipuè mente compoſitæ fuerunt, ut ex priſcæ probatæque Latinitatis ſcriptoribus oſtendatur, Authorem noſtrum in lectione illorum non hoſpitem, neque in imitatione illorum ſegnem aut infelicem planè fuiſſe, in Hiſtoria quoque plurima ſuo Carmini inſeruiſſe, quæ cum aliis Hiſtoricis, eadem narrantibus, mirè conſpirent, atque etiam eorum ſilentium, & defectum ſuppleant: Hoc etiam non prætaribo Lectorem communefacere, ſi qui fortè ſunt, qui cupiditate reliquas Figuras viſendi easque ſibi comparandi flagrant, libens eorum voluntati morem geram, ſed *ſubſcriptionis* lege, & hâc ratione eas publico uſui, atque illarum Studioſis committere decrevi; de quibus rebus omnibus, proût in *Diariis Litterariis* indicabitur, apud *Bibliopolas* plura cognoſci queunt. Vale Lector Optime, & fave Editori. Dabam Bernæ Helvetiorum, An. à R. S. M. DCC. XLVI.



Dux





DUx ubi Roggerius *a* Guiscardi *b* clara propago *c*,
Jam fastidiret nomen habere Ducis.

Altius

a *Dux ubi Rogerius*] Hic erat *Rogerius* II. filius *Rogerii* I. Siciliæ Comitis, qui Primus à Pontifice Romano *Siciliæ* Rex creatus appellatusque est: is *Simone*, natu majore fratre, sine masculà prole mortuò, Siciliæ omni præfuit: quo verò anno Imperium susceperit, non constat, id certum est, *Rogerium* I. patrem suum A. 1101. diem suum obiisse, fratremque *Simonem* parvo admodum tempore Patri fuisse superstitem.

b *Guiscardi*] *Robertus Guiscardus* de *Normannorum* in Gallia Gente oriundus, cum fratribus suis, quorum undecim habebat, & manu promptis & consilii plenis, in Italiam ingressus, universos mox Italiæ Principes, sed inprimis Capuanum Salernitanumque, qui inter se gravia bella gerebant, militaris gloriæ famà advertebat: Hi ubi primùm Capuani Principis castra sequuti, ob parcam atque illiberalem remunerationem eum deseruerunt, & ad Salernitanum transiverunt, cui tam fortem operam præstiterunt, ut omnia terrore nominis sui replerent, brevique tempore Saracenis, Græcisque Sicilià aut pulsis aut perdomitis, non solùm hoc Regno, sed Apulià insuper, Calabrià Salernitanoque Principatu potirentur, harumque Provinciarum imperium ad posteros suos transmitterent. Videatur præ cæteris *Gaufr. Malaterra* in Roberti Viscardi & Rogerii hujus fratris rebus gestis pag. 162. Edit. *Carusii* in Bibl. Sicula Tom. I. Hic, quòd calliditate atque astutià cunctos ætatis suæ homines antecelleret, *Guiscardi* nomen adeptum fuisse, existimatur, quòd

 etiam-

Altius aspirat, qui delegante Calisto
Ungitur *d* in Regem, Rex nova regna *e* facit.
Quem fera barbaries timuit *f*, quem Nilus, & omnis
Circulus Oceani.

Rex

etiamnum apud *Normannos* usu receptum sit, astutos homines *Guischards* appellare, testante *du Fresne* in Gloss. h. v. Verùm *Otto Frif.* de Gestis Frid. I. Imp. l. 1. c. 3. aliam hujus cognominationis causam profert, *Robertus*, inquit, *ex mediocri stirpe in Nortmannia editus, cum Rogerio fratre tàm patri, famis tempore, morem gerens, quàm ob locorum sterilitatis molestiam à natali solo progressus, multo tempore multas provincias, opportuniorem ad inhabitandum terram quærens, oberravit: unde & ab oberrandi circuitu patriâ linguâ GUISCARDUS tanquam oberrator vel gyrator appellatus est.* Verùm haud mirum hominem *Germanum*, qui existimavit tot egregias provincias mala vi Imperio *Germanico* ereptas, non benè de *Guiscardo* illiusque in Italiam profectione sensisse, mitius longè, hanc historiam referens, loquitur *Gaufredus Monachus* l. 1. p. 162. apud *Caruf.* Tom. 1. Bibl. Sic. cujus verba, nisi longiora essent, referremus, ex illis enim cùm alia plurima, quæ aliàs nos laterent, tùm inprimis intelligi potest, à quàm tenui initio, per majora in dies incrementa, ad summa denique *Normanni* fratres enisi fuerint.

c *clara propago*,] *Robertus* cognomento *Guiscardus* erat patruus hujus Rogerii, non ergò, nisi impropriè *propago* ejus vocari potest.

d *delegante Calisto ungitur*] Plerique scriptores hoc ad *Anacletum* Pontificem referunt, cùm An. 1130. consentientibus Siciliæ Ordinibus, Salernum convocatis, ipso Pontifice Anacleto suffragante, qui tum Innocentio II. oppositus fuerat, Rex salutatus, & deinde à *Cardinale Contio*, ab Anacleto ad id misso, unguento sacro Palermi perfusus, & à Capuæ Principe in frequentissimo nobilissimorum hominum cœtu coronatus fuisset. Vid. Diploma *Anacleti* apud Baron. in Annal. Eccl. ad annum 1130. & *Rocchus Pyrrhus.*

e *Rex nova regna*] Idem enim Pontifex *Anacletus*, qui Rogerii opibus defensus fuerat, quò eum sibi magis devinciret An. 1135. *Capua* Principatum, & An. 1139. *Neapolitanum* solenni ritu ei in omne ævum ùt proprium addixit: adeò ut is successoresque ejus, inde ab illo tempore, se *Reges Siciliæ*, *Ducatus Apuliæ*, & *Principatus Capuæ* appellari voluerint.

f *Quem fera barbaries timuit*,] Vir ob rerum gestarum gloriam & patre Rogerio & patruo Guiscardo, cæterisque Normannis Heroibus si non anteferendus, saltem comparandus, cùm non solùm ab illis partâ magnâ virtute retinuerit, sed

etiam

Rex ut regna suis subduxit plurima regnis,
Disposuit nomen perpetuare suum.
Inclita cui peperit plures Albidia natos *g*;
Occubuit tandem mater & orba suis:
Successit viduo post hanc Sibilia *h* lecto,
Infelix sterilem clausit aborsa diem:

Sic

etiam ingenti felicitate ampliora fecerit: Africæ bellum intulit, Regulosque illius armis superatos in deditionem accepit, sed præcipuè *Toletanum*, ob illatam sæpè Siculis injuriam, stipendiarium fecit: Græcorum Imperatorem *Emanuelem*, ob perfidiam sæpius antea à patre majoribusque suis in expeditionibus sacris erga Latinos exercitam, terra marique bello aggressus est, magnam Græciæ partem, Insulasque ejus in suam potestatem redegit, & nusquam nisi victor reversus est: imò ex Syria rediens, ubi Christianis laborantibus in tempore adfuit, *Ludovicum* cognomento *Pium*, Galliæ Regem, à Saracenis captum, liberavit; ipsam *Constantinopolim* oppugnavit, & si fides *Pandulpho Collenutio l.* 3. *pag.* 102. *Hist. Neap.* habenda, occupavit, atque ejus suburbia combussit; cùm contra alii tradant, classem ejus cum Græcorum Venetorumque classe conflixisse, eamque malè acceptam novemdecim naves amisisse, quamvis & Veneti victoriam nonnisi cruentam, multis suorum aut sauciis, aut occisis, reportaverint. Vid. Franc. *Maurolycus* l. 3. Hist. Sican. & *Fazelus* de Rebus Sic. l. 7. c. 3.

g *Inclita* - - *Albidia natos*;] Hæc erat *Alphonsi* VI. *Castellæ* & *Legionis* Regis filia, quam alii *Albiram*, & *Albediam* vocant: ex hac tres pueros procreavit, *Rogerium*, *Amphusium*, & *Wilhelmum*, quorum duo priores ante patrem fatò functi sunt, *Wilhelmus* verò patri in regno successit, non igitur omnibus prorsus liberis orbata fuit. Sunt, qui memorent, eum jam antea duas sibi uxores matrimonio junxisse, primamque omnium fuisse filiam *Petri Leonis*, qui potentiâ & divitiis illo tempore Romæ omnes facile superabat, eandemque *Anacleti* Pontificis sororem; Alteram verò *Ayroldam* ex *Marsicorum* Comitum progenie oriundam; sed utriusque matrimonium & breve & sterile fuit; *Albidiam* verò *Rogerius* Rex, ob plurima ejus & ingentia merita, adeò adamasse dicitur, ut eâ mortuâ, animi ferè mœrore confectus fuerit, quare memoriam illius, sumptuosissimò *Panormi* extructò tumulò, prosequutus est. Obiit autem illa 6. Id. Febr. An. 1145. *Alex. Abbas* l. 3. in vita *Rogerii* Sic. Reg. apud *Carusium* Tom. I. Bibl. Sic. *Rocchus Pirrus* in Chron. Reg. Sic.

h *Sibilia*] Quam alii *Sibillam* nominant, erat soror *Burgundiæ* Ducis, sed & hæc non multùm post Anno 1150. *Salerni* mortua sepultaque fuerat. *Rocchus Pirrhus* ibid.

Sic erat in ſatis, ut tertia nuberet uxor,
Per quam Romani creſceret orbis honor.
A magnis veniens natalibus orta Beatrix *i*
Concipit à ſole lux paritura diem.
Virtutem virtus, docilem proba, caſta pudicam,
Formoſam peperit pulchra, beata piam,
Naſcitur in lucem de ventre beata beato,
De Conſtantini nomine nomen habens. *k*
Traditur Auguſto *l* conjux Conſtantia Magno
Lucius in nuptu pronuba cauſa fuit.
Lucius hos jungit *m*, quos Celeſtinus inungit *n*,
Lucidus hic unit Celicus ille ſacrat.

Tertius

i *Beatrix*] Hæc erat ſoror Comitis *Reteſtenſis*, eam uxorem duxit An. 1153. ætatis verò ſuæ quinquageſimo octavo; omni enim cogitatione ad hoc ferebatur *Rogerius*, ut Regium nomen, haud ita pridem à ſè primum in familiam ſuam illatum, regioneſque ampliſſimas ad ſeros usque poſteros propagaret, unicum quippe filium *Guilelmum* habens, verebatur, ne hujus morte tam magnifica laborum virtutiſque ſuæ præmia brevi intercideṙent, ideò vota ſua firmioribus præſidiis, ſi quos ex novo matrimonio filios ſuſcipere poſſet, cupiebat munire.

k *De Conſtantini - - habens.*] *Conſtantia* dicta, quæ patre Anno 1154. mortuo, poſt ejus mortem in lucem edita fuit: fabulam ergò ſapit, quod quidam tradiderunt, patrem de ea ex medio tollenda cogitaſſe, quòd animo prævidèrit, eam cruenti, per Italiam Siciliamque, belli facem futuram.

l *Traditur Auguſto*] *Henrico* VI. Romanorum Regi *Friderici* I. *Barbaroſſæ* filio, cùm *Conſtantia* jam trigeſimum, ipſe verò *Henricus* vix vigeſimum primum ætatis ſuæ annum attigiſſet.

m *Lucius hos jungit*] Fuit hic *Lucius* III. Pontifex Romanus, qui Anno 1185. mortuus eſt: ex hoc ergò palam fit, quod alii ſcriptores de *Clemente* memorant, *Henricum*, Pronubo *Lucio*, matrimonium *Conſtantiæ* iniiſſe: licetque cæteri huic ſententiæ refragentur, ætas tamen ipſa *Conſtantiæ* id poſtulare videtur, quæ, cùm *Henrico* nupſiſſet, 30. annos nata dicitur, quos ſi ab anno patris fatali 1154. vel, quoniam poſthuma fuerat, 1155. numeres, incidet annus ejus trigeſimus in *Lucii* Pontificatûs annum ultimum.

n *Cæleſtinus inungit*,] Cæleſtinus III. Pontifex *Henricum Conſtantiamque Romæ* in templo D. *Petri* oleô ſacrô perunctos coronavit.

Tertius in ſexto digne requieſcit uterque,
Sic notat Henricus ſextus utrumque patrem.
Nominibus tantis utinam reſpondeat actus,
Adſint & meritis nomina digna ſuis.
Luceat in ſanctis unus celeſti at alter,
A quibus Henricus munera bina capit.
Tertius Antiſtes ſacrat hanc, & tertius alter
Copulat, & patri tertia nupta tulit.
Non licuit quartam *o* patri traducere nuptam
Nam paritas numeri diſplicet ipſa Deo.

o *Non licuit quartam &c.*] μυστηριῶδές τι quærit *Ebulo* in numero trinario, quòd *Rogerius* pater habuerit tres uxores, *Lucius* III. *Conſtantiam Henrico* junxerit, *Caleſtinus* verò III. coronaverit.





OBITUS

WILHELMI SECUNDI
FORMOSI,
REGIS SICILIÆ.

Poſt obitum Formoſe *p* tuum, quæ ſceptra gubernet
    Et regat, ex proprio ſanguine prole cares.
Nec facis hæredem, nec qui ſuccedat adoptas,
    Ex inteſtato debita ſolvis humo.
Quis novit ſecreta tuæ puriſſima mentis
    Quod tua mens loquitur, mundus & ipſe taces.
Certus eras certè quoniam juſtiſſimus hæres *q*
    Expugnaturus regna parentis erat.
Nam ſatis eſt juraſſe ſemel Te prole carente,
    Quod tuus in genero ſceptra teneret avus. *r*

Jurat

p *Poſt obitum Formoſe*] Hic eſt *Wilelmus* II. Wilelmi I. filius, *Rogerii* II. Nepos, cognomento *Bonus*, cùm contra pater ejus ob morum perverſitatem *Malus* cognominatus eſſet; is Anno 1166. regio diademate redimitus eſt, habuitque in matrimonio *Joannam Henrici* Angliæ Regis filiam, ex qua nullos liberos progenuit.

q *juſtiſſimus hæres*] *Conſtantia* ſola, Wilelmo II. mortuo, cujus amita erat, ex legitima regia ſobole reliqua erat, ad quam, maſcula progenie extinctâ, ſummum Imperii jus pertinebat.

r *in genero ſceptra teneret avus.*] Quaſi adhucdum *Rogerius* Rex, Conſtantiæ pater, Wilelmique II. avus, in genero ſuo *Henrico* VI. imperio potiretur, neque illud ad alienigenas tranſlatum, ſed intra domum ſuam remanſiſſe videretur.

Jurat cum multis Archimateus idem. [s]
Post miseros morbos, post Regis triste necesse
Nocte sub obscura sole latente pluit.
Postquam dimisit Rex res pulcherrima mundum;
Inglomerant sese prælia, præda, fames.
Furta, lues, pestes, lites, perjuria, cædes,
Infelix regnum diripuêre sibi.
Sol hominum moritur [t], superi patiuntur eclipsim,
Anglica [u] Sicilidem luna flet orba diem.
Solis ad occasum commotus eclipticat orbis,
Deflent, astra dolent, flet mare, plorat humus.


s *Jurat - - Archimateus idem.*] Hic est *Matthæus* totius Siciliæ regni *Cancellarius*, qui, cæterique Optimates jure jurando sese obstrinxerunt, se præter *Constantiam Henricum*que maritum ejus neminem, Wilelmo mortuo, in *Sicilia* regnare passuros, quam tamen fidem datam postea fœdum in modum fefellerunt. *Rich.* de *S. Germano* p. 546. Tom. II. *Bibl. Sic. Gotfr. Viterb.* p. 522.

t *Sol hominum moritur*,] Mortuus est Wilelmus II. Anno 1189. mense Novembri, cùm demum trigesimum sextum ætatis suæ, & vigesimum quartum regni sui annum ingressus esset; *Richardus de S. Germano* eum summis effert laudibus, atque funebri lesso, quo omnes ejus virtutes complexus est, facundè admodum, prout illa tempora ferebant, mortem ejus deploravit: Verùm etiam reliqui scriptores ferè omnes, qui de eo mentionem fecerunt, in illo laudando mirè consenserunt.

u *Anglica*] *Joannam* Regis viduam intelligit, *Angliæ* Regis filiam.



LAMEN-



LAMENTATIO ET LUCTUS
PANORMI.

HActenus urbs felix populo dotata trilingui
Corde ruit, fluitat pectore, mente cadit:
Ore, manu, lacrymis, clamant, clamoribus instant
Cum pueris juvenes, cum juniore senes;
Dives, inops, servus, liber, pius, impius, omnes
Exequias æquo pondere Regis agunt;
Cum viduis castæ plorant, cum virgine nuptæ,
Quid moror in lacrymis? Nil nisi quæstus erat:
Qui jacet in cunis, medio qui robore fretus
Et quibus est baculus tertia forma pedum.
Per loca, per vicos, per celsa palatia plorant,
Desiccat lacrimas nona peracta dies.
Tum pater Antistes x fuit hæc adfatus ad omnes,
Nec potuit lacrimans plurima verba loqui.
Hactenus errantes correximus, hactenus atros
Mens erat à stabulis pellere nostra lupos.
Hactenus ad caulas nullo cogente redibant
Vespere lacte graves Opilionis oves.

Hactenus

x *pater Antistes*] *Gualterius* Archiepiscopus *Panormitanus*, cujus potissimùm ope *Constantia* in matrimonium *Henrico* data fuerat; nam hic *Wilelmo* Regi, qui aliàs *Tancredo* studere videbatur, persuasit, si regnum firmum florensque post se relinquere, neque factionibus miserè dilacerari cuperet, ut rejectô *Tancredô*, spuriô & invalido Principe, *Henricum* maximis opibus subnixum, eligeret.

Hactenus unguiferos bos errans nulla leones,
Roſtriferas aquilas nulla timebat avis.
Hactenus ibat ovans ſolus per opaca viator,
Hactenus inſidiis nec locus ullus erat.
Hactenus in ſpeculo poterat ſe quisque videre,
Quod mors infregit, buſtaque noctis habent.
Hactenus ardebant miſeri candelabra regni,
Ipſa ſub obſcura flamma cineſcit humo.
Mittite quod properet Phœbi ſoror, & Jovis uxor y
Imperii cornu jungat utrumque ſui.

y *Jovis uxor*] *Conſtantia*, *Henrici* VI. Romanorum Imperatoris uxor, quem, Poëtarum more illi blandiens, *Jovem* nuncupat.



ADVERSA ET DIVERSA
PETENTIUM VOLUNTAS.

Poſt lacrimas, poſt exequias, poſt triſte ſepulchrum
Sciſmatis exoritur ſemen *z* in urbe Ducum:
In ſua verſa manus præcordia ſanguinis hauſit
Urbs, tantum quantum nemo referre poteſt.
Poſtquam ſacrilego fuit urbs ſaturata cruore,
A propria modicum cæde quieta fuit.
Quisque ſibi petit in Regem *a*, quem norat amicum,
Hic ſe majorem quærit, & ille parem.
Hic conſanguineum quærit, petit ille ſodalem,
Hic humilem laudat, laudat & ille ferum.
Quisque ſibi Regem petit hunc, legit hunc, petit illum,
Non erat in voto mens Phariſæa pari:

Tancre-

z *Sciſmatis exoritur ſemen*] Impulſore præcipuè *Matthæo Cancellario*, qui omnes ferè regni Principes, ipſamque plebem in ſuas pertraxit partes, licetque ſolenni more paulò ante juraverint, ſe *Conſtantiam* & *Henricum* ſolos regni ſucceſſores habituros, ei tamen, pro illius gentis levitate, mortuo Wilelmo, facile fuit, hominibus, qui aliàs Germanis infenſiſſimi fuerant, perſuadere, ut ſacramenti religione neglectâ, in aliûs potius quàm *Henrici* verba jurarent. *Rich. de S. Germ.* p. 547.

a *Quisque ſibi petit in Regem*, &c.] *Richardus de S. Germ.* p. 547. id apertè teſtatur: *Nulli eorum fuit æqua voluntas, omnes inter ſe cœperunt de majoritate contendere, & ad regni ſolium aſpirare, & obliti jurisjurandi, quod fecerant, eorum quilibet contrafacere anhelabat.*

Tancredum petit hic, Comitem petit ille Rogerum *b*,
Quod petit hic, negat hic, quod negat hic, petit hic:
Ambo Duces equitum, rationis uterque Magiſter *c*
Hic dator, ille tenax, hic brevis, ille Gigas;
Intus at interea Vice-Cancellarius ardet,
Ut ſibi Tancredum gens petat, unus agit.
Hoc negat Antiſtes *d*, qui gualterizatur *e* ubique,
Votaque Matthæi curia tota negat;
Ille ſuis cœptis magis ac magis inſtat iniquis,
In votis animam dans nihil eſſe ſuam.

Vi,

b *Tancredum petit hic - - ille Rogerum*,] TANCREDUS hic erat filius *Rogerii* Apuliæ Ducis, qui ante patrem *Rogerium* I. Siciliæ Regem diem ſuum obiit, relicto hoc ſuo filio *Tancredo*, ex nobili pellice *Roberti* Leccenſis Comitis filiâ ſuſcepto: *Pyrrhus Rocchus* l. c. *Richardus de S. Germano* ad annum 1190. adnotat, *Tancredus Ducis Rogerii filius fuerat naturalis, cujus pater Rogerius primus in regno Siciliæ Regis ſortitus eſt nomen, & hac de re, quod de ſtirpe Regia deſcendiſſet, inter alios Comites eſt electus in Regem.* ROGERUS verò erat *Andriæ* Comes, qui iniquo animo ferebat, *Tancredum*, quem ut ſpurium aſpernabatur, ad Regios honores evectum, ideò malebat vel ipſe regnare, vel dicto *Henrici* Romanorum Imperatoris audiens eſſe, quam *Tancredo*, ſibi, ut exiſtimabat, & potentiâ & naſcendi ſorte longè impari.

c *rationis uterque Magiſter*] De hoc *Rogerio* narrat *Richardus de S. Germano* l. c. eum tempore Regis Wilelmi totius regni *Magiſtrum Juſtitiarium fuiſſe, & in Apulia plenum tunc dominium exercuiſſe.*

d *Vice-Cancellarius - - negat Antiſtes*,] Hi graves inter ſe inimicitias exercebant, dum unusquisque pro ſua potentia ac gratia nititur: *Matthæus* Cancellarius dudum *Gualterio* Panormitanó Antiſtiti erat infenſus, quòd *Conſtantiam* Germano Principi collocari curaviſſet, atque ſic regnum in poteſtatem alienigenarum, poſthabitâ veteri Regiâ *Normannorum* ſtirpe tradidiſſet.

e *gualterizatur*] *Gualterius* Archiepiſcopus conſilio ſuo ſemel capto, de *Henrico* Rege Siciliæ eligendo, acriter inſtat, neque ſe vel minis vel promiſſis inde dimoveri patitur.


Vi, prece, promiſſis, trahit in ſua vota rebelles,
 Tendens multimodis retia plena dolis.
Pollicitis humiles *f*, prece magnos, munere fauſtos,
 Vincit *g*, & Antiſtes ſimplicitate ruit.

f *Pollicitis humiles*,] *Humiles* vocat ex uſu veterum Romanorum ſcriptorum, tenues, pauperes, obſcureque natos.

g *Vincit*,] Adeo ut *omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & univerſi aulici Comites Siciliæ invicem convenientes eligerent* TANCREDUM *Comitem, & honorificè in Regem coronaverint.* uti id refert *Chronicon Foſſæ novæ* p. 72. apud *Caruſium* Bibl. Sic. Tom. I. & *Richardus de S. Germ. factum eſt autem, ut cum ſuis complicibus, ne pars Archiepiſcopi prævaleret, Cancellarius obtinuerit in hac parte, & tunc vocatus Panormum Tancredus, Comes Licii, Romana curia dante aſſenſum, eſt per ipſum Cancellarium coronatus in Regem.*



SUASIO



SUASIO

VICE-CANCELLARII

DISSUADENTIS

ad

PRÆSULEM PANORM.

SOl erat occiduus faciente crepuſcula Phœbô
Venit Scariothis flens ubi Præſul erat:
Sic ait, alme pater, lux regni, gloria cleri,
Utile conſilium, paſtor & urbis honor;
Pacis iter, rationis amor, conſtantia veri,
Reſpice conſiliis regna relicta tuis.
Conſule, ne pereant, veſtro ſuccurre roſeto,
Ne Nothus aut Boreas, ne gravis urat yemps.
Elige, quis regnet, Conſtantia regnet, *b*
Sic lex expoſcit, ſic ſua jura volunt.

Diſce

h *Conſtantia regnet*,] Vel εἰρωνικῶς hæc intelligenda ſunt, ut eſt illud Junonis apud *Maronem* Æn. l. 1. Quippe vetor fatis! vel ἐρωτηματικῶς, interrogativè, germ. Soll dann die Conſtantia regieren?

Diſce prius mores Auguſti *i*, diſce furorem,
Teutonicam rabiem quis tolerare poteſt?
Parce tuis canis, pueri tibi more licebit
Diſcere barbaricos barbarizare ſenos. *k*
Ad ſolium regni Comitem gerit Andria dignum *l*,
Sed jus & mores, & ſua facta negant.
Abſit ut inceſtus Regum mechetur in aula,
Abſit ut æra Ducum ſpargat *m* aperta manus.
Abſit ut eveniens uxor de Rege queratur,
Abſit, ut alterius vindicet acta reus.
Aptus ad hoc Tancredus erit, quem germine juſto,
Quem gens, quem populus, quem petit omnis homo.
Quam-

i *mores Auguſti*,] Sævitiam vulgò ac truculentum ingenium, animumque in libidines pronum ei objiciunt ſcriptores, *Abbas* verò *Urſpergenſis* in Chronico ſuo mitioribus verbis vitia ejus attingit, *Vanitatibus deditus, maximè venationum & aucupiorum.* Id ſaltem inter omnes conſtat à morum aſperitate *Aſperi* illi nomen impoſitum fuiſſe.

k *barbarizare ſenos.*] Leg. *ſonos.* Intelligit autem linguam Germanicam, quam Itali, ut & gentem ipſam Germanorum *barbaram* vocaverunt, licèt ipſi poſtquam ſemel à majorum ſuorum ſermone deſciverunt, potiori jure *Barbari* ſint nominandi; Significare autem *Cancellarius* voluit, Archiepiſcopo jam ſeni neceſſe fore, Germanis in regnum receptis, Germanicam linguam pueri inſtar addiſcere, ut inde gratiam Principis captet, & familiariter cum illo colloqui poſſit.

l *Ad ſolium - - Andria dignum*,] i. e. *Rogerius* Andriæ Comes dignus quidem eſſet, qui regno præficiatur, verùm cùm vita moresque ejus repugnent, rejiciamus & hunc.

m *æra Ducum ſpargat*] Qui pecunias priorum Regum Ducumque Siciliæ, magnâ induſtriâ collectas, liberalitate ſuâ profundat: ita enim Poëtæ inprimis omnem pecuniam *æs* appellaverunt. Horat. l. 1. ep. 6. eget *æris* Cappadocum Rex. Ter. in Phorm. a. 3. ſc. 2. ancillam *ære* emptam ſuo: Quod inde factum eruditi putant; quoniam apud priſcos Romanos aureæ argenteæque monetæ uſus non fuerit frequentatus, ſed ſolum æs in pretio habitum ferè usque primi belli Punici tempora.


Quamvis fama sibi, quamvis natura repugnet,
  Naturam redimat gratia, crimen honor.
Qui quanto Duce patre superbiat, hic quoque tanto
  Ex merito matris mitior esse potest *n*:
Non habet ut timeas dubium brevis unda profundum,
  Quò vis defertur remige parva ratis *o*:
Talibus almi patris Mathæus adulterat archam,
  Et legit ex tacito Præsulis ore fidem.

n *Qui quanto - - esse potest*:] Qui, quò magis ob patris nobilitatem, ac progenitorum suorum potentiam & claritatem altos spiritus gerere posset, eò etiam magis ob natalium sordes, quippe ex matre, patri matrimonio non juncta, procreatus, animo frangeretur, secundum vetus illud, Degeneres animos timor arguit.

o *Non habet - - parva ratis*:] Non alium commodè sensum hinc extricare licet nisi hunc, nullum tibi ab homine tam brevis humilisque staturæ, tam invalido, nulliusque consilii, pertimescendum est periculum, facile enim te Rectore Auctoreque se impelli patietur, quocunque volueris: Ipse etiam *Ebulo* ad hunc sensum quasi manu ducit, qui passim *Tancredum*, ùt Nanum, monstrosæque ob corporis parvitatem & deformitatem, figuræ nobis sistit.



EPISTO-



EPISTOLA
ad
TANCREDUM.

PRotinus accepta Bigamus *p* notat iſta papiro,
Hæc in nocturnis verba fuere notis.
Hanc tibi Mathæus mitto Tancrede ſalutem,
Quam citò ni venias, qui ferat alter erit;
Rumpe moras *q*, venias, comitatus utrâque
Prole *r*, recepturus regia ſceptra veni.
Rumpe moras, poſtpone fidem, dimitte maritam
Ipſe tibi ſcribo, qui tibi regna dabo.
Per me regnabis, per me tibi regna dabuntur,
Fac citò quòd venias, nam mora ſæpè nocet.

Inceptis

p *Bigamus*] *Matthæum* Cancellarium intelligit, qui ùt gloſſa codicis noſtri ad hunc verſum infra occurrentem, *Bigamum non decet ara Dei*, adnotat, *Matthæus Cancellarius Bigamus dicitur, quia duos uxores ſimul habuit.*

q *Rumpe moras - - regia ſceptra veni.*] Ovidiana illa L. 7. Met. v. 583. in eundem ſenſum, ſed longè pleniora & venuſtiora.

Tu modò *rumpe moras*, portaſque intrare patentes
Adpropera, ſic fata jubent, namque urbe receptus
Rex eris & ſceptrò tutus potiére perenni.

r *utraque Prole:*] *Rogerio & Wilelmo*, quos ex *Sibilia*, Richardi Comitis Cerræ ſorore, natos, Siciliæ Reges vivus adhuc Tancredus Panormi creari juſſit, ſed Rogerio ſine liberis ante patrem mortuo, Wilelmum ſolum ſibi ſuperſtitem habuit. *Pyrrhus Rochus.*

Inceptis desiste tuis, irascimur illis,
Nam sicut debes non sapienter agis.
Cui facis heredi regnum jurare, vel urbes,
Quem legis hæredem, cui tua Regna paras?
Absenti Domino *s* magnas inducitis urbes,
Ut jurent, aliis das quod habere potes.
Nec te, si qua fides, nec te perjuria tardent *t*,
Gloria regnandi cuncta licere facit. *u*
Andronicus si fortè suo juravit Alexi
Ipse cruentato sceptra Nepote tulit. *x*
Hæredem regni, fidei maculatæ pudorem,
Non puduit profugum sub Manuele senem.
Unum natorum si fas foret, atque liceret,
Debueras duræ subdere sponte neci.
Ipse ego triste pedes quotiens sinthoma perurit,
Non hominum dubito sanguinis esse reus.

s *Absenti Domino*] Ad invidiam *Henrico* Regi apud suos excitandam, *Dominum* eum nuncupat, notum enim quanto odio Romani inprimis *Domini* nomen prosequuti fuerint, adeò ut *Augustus* & *Tiberius* illud constanter recusaverint, & demum *Caligula* & *Domitianus* magnò suò cum opprobriò se hoc nomine publicè privatimque compellari jusserint.

t *Nec te - - tardent*,] Videtur, *Matthæum* Cancellarium sollicitum esse, ne fortè *Tancredus* ob fidem, jurejurandò Wilelmo Regi, de Henrici & Constantiæ successione, obstrictam, suas tam amplas pollicitationes aversetur, & pietatem atque obsequium opulentissimo regno anteponat.

u *Gloria regnandi - - facit.*] Desumptum hoc est ex notissimis versibus *Euripidis* in Phœn. v. 527. quos Julius Cæsar teste Cicerone l. 3. de Off. c. 21. & Suetonió in ejus vita c. 30. Frequenter in ore habuisse dicitur,

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est, aliis rebus pietatem colas.

x *Andronicus - - Nepote tulit*,] *Alexius Comnenus* II. anno 1181. patre *Manuele Comneno* mortuo, Græcorum suscepit imperium, quod cùm per tres solùm annos tenuisset, scelere *Andronici* patruelis atque tutoris sui illud simul cum vita anno ætatis decimo quinto amisit. vid. *Nicetas* in Alexii hujus vita, & *Guil. Tyrius* l. 22. c. 11. & seq.



SPURIOSA

UNCTIO REGIS.

NEc mora perlectis quæ miserat ille figuris,
Consuluit mentis triste cubile suæ.
Stare pudet, properare timet, cor fluctuat intus,
Ut puer ascensum territus optat equi.
Et timet, & gaudet, luit & ludit, modò sursum
Aspirat, modò se colligit inque manus.
Corporis exigui memori sub mente pudorem
Colligit, & quatitur sicut Arudo Comes.
Tandem Siciliam gemina cum prole petentis
Opprobrium patris natus uterque tegit.
Fabariæ cum prole Comes descendit y avita,
Illinc à multis plurima doctus abit.
Primo mane subit, vestem ferruginis instar
Induit, hic habitus signa doloris habet.

Heu,

y *Fabariæ - - descendit*] *Tancredus* Leccii Comes cum filiis suis ex Italia in Siciliam trajiciens, hic primum appulit. Hujus portûs, qui olim erat in *Territorio* urbis *Panormi* mentionem facit auctor *Anonymus* in Chron. Siciliæ apud *Burmannum* in Thes. Ital. Vol. 5. p. 75. his verbis: *Succenderunt turres*, *vineas*, *& jardinia*, *sita in territorio Panormi*, *videlicet in Contratis* (gallica vox, *Contrée*, uti & *jardinia*, *jardins*) *Cassariorum*, *Fabariæ* &c. Hanc *Fazelus* in descriptione Vallis *Mazaræ*, & oppidorum ejus *Favaram* vocasse videtur. in Thes. Burm. Vol. 4. p. 262.

Heu, heu quanta die perjuria fecit in illa,
Quâ Comes infelix unctus z in urbe fuit.
O nova pompa doli ſpecies nova fraudis iniquæ,
Non dubitas Nano tradere regna tuo. a
Ecce vetus monſtrum naturæ crimen aborſum,
Ecce coronatur ſimia, turpis homo.
Huc ades Allecto, triſtis proclamet Herynnis,
Exclament Satyri, ſemivir ecce venit.
Ne cadat opprobrium, Lacheſis ſua fila moretur,
Ludibrium mundi perpetuate dies.
Quam benè conveniunt redimito cymbala Mimo,
Ne quemquam lateat, ærea plectra ſonant.
Et quibus auditum ſors aut natura negavit,
Ut videant, alto ſimia fertur equo.
Altera mellifluens Paradiſus dulce Panormum,
Quam malè compenſas damna priora tibi.

Quam

z *Comes - - unctus*] Hoc factum eſt ſub finem anni 1189. in urbe *Palermo*, cùm, ùt ſupradictum eſt, factione potiſſimùm *Matthæi* Cancellarii, tùm etiam, quòd Sicilia, poſt mortem *Wilelmi* Boni, à Sarazenis, qui in ſpem melioris fortunæ ejus obitu erecti fuerunt, miſerè vexabatur, adeo ut *inter has anguſtias conſtituti* (Siculi) *Tancredum Rogerii Regis ex pellice prognatum, tumultuantibusque paucis Regem declararent. Erat Tancredus tantæ ſocordiæ, ut eum Guilelmus Rex ex Rogerio Rege genitum negaret: Diadema tamen Regium Panormi ſuſcepit:* uti narrat *Fazelus* l. 7. c. 6. de Rebus Siculis.

a *Nano - - tuo.*] Mirum unde hæc hauſerit *Ebulo*, qui ubique deformitatem vultûs, ac brevitatem corporis portentoſam *Tancredo* exprobrat, ſaltem apud reliquos ſcriptores nullum hujus rei veſtigium mihi deprehendere licuit: dicendum ergò, aut auctorem noſtrum, ùt *Tancredi* æqualem, hujus ætate vixiſſe, eique de facie fuiſſe cognitum, aut quod mallem, hæc efficta fuiſſe, ad majorem invidiam & ipſi Tancredo, cæteriſque, qui partes ejus ſequuti fuerunt, concitandam, ſi lectoribus ſuis perſuaſiſſet, *Siculos*, hominem, aſpectu fœdum, & quaſi abortientis naturæ infauſtum fœtum, Regem creâſſe: Odium enim ſuum erga *Tancredinos*, & ſtudium erga *Henricum*, quò illi adblanditur, ubivis prodit.

Quam malè Scariothis redimit tua festa Mathæus
Qui titulos cautâ polluit arte tuos.
Pro Jove semivirum, magno pro Cæsare Nanum
Suscipis in sceptrum.
Debuit illa dies multa pice nigrior esse,
Qua miser adscendit, qua ruiturus erat.
Illa dies pereat, nec commemoretur in anno,
In qua Tancredus regia sceptra tulit.
Illa dies pereat, semper noctescat Abysso,
In qua Tancredus præredimitus abit.
O nimis infelix memorabilis unctio Regni
Unxit abortivum quæ manus ausa virum.
Embrion infelix, & detestabile monstrum,
Quam magis alta petis, tam graviora lues.
Corpore te geminas brevis athome semper in uno,
Nam puer à tergo vivis ab ore senex. *b*
Hoc ego dum dubia meditarer mente profundum,
Quæ res naturæ dimidiasset opus.
Egregius Doctor, & vir pietatis amicus
Explicuit causas talibus Urso michi. *c*
Ut puer incipiat, opus est, ut uterque resudet,
Ex quo perfectus nascitur orbe puer.
Non in Tancredo sementat uterque parentum,
Et si sementent, non bene conveniunt.
Dux alter de stirpe Ducum, de stemmate Regum,
Altera de media stirpe creata fuit.

Natura

b *Corpore te - - ore senex.*] In margine codicis adlevit quidam, *Tancredus facie senex, staturâ puellus.*

c *Egregius Doctor, - - Urso michi.*] Et hic in margine legitur: *Quod aborsum ei fuerit corpus Magister Urso abortientem ovem ducit in exemplum.*

Naturam natura fugit, fornacis aborret
Gemma luem, nec humus nobilitate coit.
Evomit humorem tam vilis texta virilem,
Concipitur ſolo ſemine matris homo.
Quantum materies potuit pauperrima matris
Contulit, & modicum materiavit opus.
Hunc habuiſſe patrem credamus nomine non re,
Rem trahit à matre dimidiatus homo.
Qui purgata ſolo bene culto ſemina mandant,
In lolium verſos ſæpe quæruntur agros.
Sæpius infelix conceptum vacca juvencum
Monſtriferumque pecus mollis abortit ovis.
Ridiculum natura tuum res ſimia turpis
Regnat abortivi corporis inſtar homo.
Qua ratione ſibi ſacra convenit unctio regni,
Quem negat hæredem non bene nupta parens.
Quæ vis, quæ probitas potuit, quæ fama, quis enſis
Majeſtativum promeruiſſe decus.
Non ſua ſemper amans, quotiens qui nil dedit illi,
Seu dedit & petiit, non minus hoſtis erat.
Moribus & vitæ pauper, nec fama repugnat,
Et modicas vires, & breve corpus habet.
Ingenii vitemus opes, & retia mentis,
In quibus egregios ſcimus obiſſe viros.
Cùm foret ille tuus falſò Comes Andria captus *d*,
Condoluit magnis rebus obeſſe fidem,

Quem

d *Cùm foret Comes - - captus*,] Eſt hic *Rogerius Andriæ* Comes, cujus liberalitatem jam ſupra, & etiam paulò infra laudaverat. Hunc, inquam, *Richardus Acerrarum* Comes, cujus ſororem *Tancredus* in matrimonio habuerat, *Aſculi* obſidione clauſit, & cùm de expugnando oppido deſperaret, ad peſſimas artes,

dolum

Quem perjura fides, quem pacis fœdus iniquæ
    Fallit, & obſcuro carcere clauſus obit.
Quam malè credis aquæ trepidantia vela quietæ,
    Quas hodiè Zephyrus, cras aget Eurus aquas.
Heu ubi tanta jacet ſaturatæ copia menſæ,
    Quæ numeri nullâ lege coacta fuit.
Heu ubi tanta jacet maturi forma gigantis
    Juſtitiæ rector.
Prodigus in dando vix vix retributa recepit,
    Prævenit meritum ſemper aperta manus.
Hunc aliosque viros fallax intoxicat anguis *e*,
    In quibus apparet Cæſaris eſſe fides.

dolum ſcilicet ac perfidiam, animum convertit, nam *Rogerium* ad colloquium extra urbem, quaſi de componendo bello agere cum illo vellet, invitavit: Verùm *Richardus* eum, cùm nihil doli ſubeſſe crederet, conſtitutis inſidiis, cepit, & nefarium in modum interfici juſſit. *Richardus de S. Germ.* p. 547. 548.

e *Hunc* - - *intoxicat &c.*] Propriè hæc eſſe intelligenda arbitror, ut ſenſus ſit: *Richardum Acerrarum* Comitem, Tancredi adfinem, plures alios præter Rogerium Andriæ Comitem, veneno ſuſtuliſſe, illos præcipuè, quos ſciebat, egregiâ eſſe in Cæſarem fide: *Intoxicat* autem eſt vox barbara, quam Gloſſator *du Fresne* omiſit, occurrit tamen apud eum *Toxicator*, *Venenarius*.



IMPE-



IMPERIALIS UNCTIO.

SErta recepturus cùm Cæſar venit in urbem,
  Exultat pompis inclita Roma novis.
Ad Petri devenit eques venerabile templum,
  Quo pater Antiſtes *f* præredimitus erat.
Balſama, thus, aloë, myriſtica, cynnama, nardus,
  Regibus aſſuetus ambra modeſtus odor.
Per vicos, per tecta fragrant, redolentque per urbem,
  Thuris aromatici ſpirat ubique Rogus.
Veſtit odora viam mirthus ſociata Diathis
  Luxuriant croceis lilia juncta roſis. *g*

Prima

f *Quo pater Antiſtes*] Fuerat is *Cæleſtinus* III. qui paulò ante, Clemente III. mortuo, anno 1191. ad ſummum Pontificatum evectus fuit: Chron. Foſſæ Novæ p. 72. *Rex Henricus cum conjuge ſua Conſtantia in Eccleſia Beati Petri* à Cæleſtino Papa Imperialem coronam acceperunt 3. Kal. Maji anni 1191. *Ricb. de S. Germ.* p. 548. *Ottbo de S. Blaſio* c. 33.

g *Balſama - - juncta roſis.*] Inter gratulationes, variosque adulandi modos, quibus veteres Romani Imperatores ſuos publicè proſequi voluerunt, etiam hic haud contemnendus fuit, quòd inter fauſtas populi acclamationes, quibus advenientes vel tranſeuntes rerum Dominos concelebrarunt, viæ publicæ per quas incedebant, floribus odoriferis conſperſæ fuerint: atque hæ ἀνθίων βολαὶ, florumque ſparſiones, paſſim in honorem Cæſarum apud *Herodianum* factæ leguntur: Sic Alexandrini, cùm *Caracalla* eorum urbem ingreſſus eſſet, omnes urbis vias pretioſiſſimorum aromatum ſuffimentis replebant, Cæſaremque fragrantium florum ſparſione


Prima domus templi bisso vestitur & ostro,
Stellificat tædis cerea flamma suis.
At domus interior ubi mensa corruscat & agnus,
Purpurat aurato res operosa loco.
A vice Petre tua pius introducitur heros,
Inclitus altaris sistitur ante gradus.
Primo Papa manus sacrat ambas crismate sacro,
Ut testamentum victor utrumque gerat.
Brachia sanctificans, scapulas & pectus inungens
In Christum Domini Te Deus unxit, ait.
Post hæc imperii correptum tradidit ensem,
Quem Petrus abscissa jussus ab aure tulit.
Ensis utrimque potens, templi defensor & orbis,
Hinc regit Ecclesiam, corrigit inde solum.
Jura potestatis, pondus pietatis & æqui,
Signat in augusta tradita virga manu.
Annulus Ecclesiæ, regnorum nobilis arra
Offertur digitis Octaviane tuis.
Quam geris auratæ Cæsar diadema thiaræ
Signat te aplicas *h* participare vices.
Post hæc cantatis ad castra revertitur ymnis,
Mandat in Apuliam *i* quisque quod ire paret.

sparsione honorabant: Qui honos uti à cultu Deorum sacro ad civilem Cæsarum translatus, & tantùm hominibus, quos Deorum instar venerabantur, in veteri Roma præstitus est, ita admiratione dignum judico, recentiores Romanos, præeunte Pontifice Christiano, Germanicum Principem, tanquam præsentem divum, honoribus ferè divinis ornavisse.

h *Signat te aplicas*] In margine codicis legitur, *Apulicas*.

i *Mandat in Apuliam*] Coronatione solemnem in modum peractâ, Henricus Apuliam cum exercitu ingressus est, quam Tancredini tum tenebant, licetque *Cælestinus* eum minis ac pollicitationibus deterrere conaretur, ut ab incepto suo desisteret, quòd Tancredus *Investituram* hujus provinciæ à *Clemente* accepisset, nihil tamen profecit, nam Henricus non solùm dicto Pontificis obediens non fuit, sed etiam validissimas arces cum copiis suis oppugnavit, multasque earum cepit. *Richardus de S. Germ.*

REGNI



REGNI LEGATIO.

Suscipit interea Legatos scripta ferentes,
Quos Proceres regni, quos docuere Duces.
Primus magnanimus scripsit Comes ille Rogerus,
Scripserat infelix semivir ipse *k* Comes.
Scripsit Consanus patrio Comes ore venustus,
Scripsit Molisius inclitus ille Comes. *l*
Scripsit Tricarici Comes, & Comes ille Gravini,
Scripsit cum triplici prole Philippus idem.
Et gemini fratres magni scripsere Lupini,
Scripsit & Antistes, hoc Capuanus idem.
Scripsit & Antistes Dominorum gemma Panormi,
Scripserat & Præsul Bartholomæus idem.
Scripsit cum multis pius Archi-Levita Salerni,
Cujus pura fides purior igne manet.

k *semivir ipse*] Tancredum puta, de cujus litteris, ad Henricum datis, altum est apud scriptores silentium.

l *Molisius - - Comes.*] De hujus aliorumque Comitum forti fidelique operâ, quam Henrico, quamdiu in Italia versatus est, præstiterunt, vid. *Rich. de S. Germ.* p. 549.


PRIMUS
IMPERATORIS INGRESSUS
in
REGNUM SICILIÆ.

EN movet imperium mundi fortiſſimus hæres
Et venit armata nobilitate Ducum.
Non patitur falſô laniari Principe regnum,
Quod ſibi per patrios jura dedere gradus.
Hoc Avus, hoc Proavus quandoque dedere tributis,
Quæ Pater à Siculis Regibus ipſe tulit.
Si numerare velis genitos à Cæſare magno,
In medio Carolus fulminat orbe tuus.
Nec minor eſt Fredericus eô, qui duxit ab illo
Et genus & ſceptrum nomen & eſſe tuum.
Cuncta ſibi quæcunque vides ſervire coegit,
Vicit in hoc Carolos fortior haſta ſuos.
Quantum laudis habet mundus, quantumve triumphi,
Fama minus titulis aſſerit eſſe ſuis.
In modicum reputans tandem pro viribus orbem
In Domino voluit ſpe meliore frui.
Alter in hoc Moyſes aliam populoſus Ægyptum
Deſerit, ut redimat regna domumque Dei.

Jam

Jam ſua vota videns inter ſua gaudia Chriſto,
Migrat, & æternis militat albus equis.
Plena poteſtatis faſtidit imago triumphos,
Eſt ſatis ex omni parte videre ſuum.
Ex hoc, ex aliis verus dinoſceris hæres,
Nam tua Pipinis gloria major erit.
Auguſtos imitare tuos, defende tuum jus,
Conjugis & magni jura tuere patris.
Tam tua quam ſoceri limes conterminet unus,
Nam jus Conſortis in tua jura cadit.







CAſtra movêns Cæſar montis volat arva Caſini *m*,
In quo Rofridus cura fidelis erat.
Cum grege, cum populo, fecit quod debuit Abbas,
Sola refrenavit Cæſaris arma fides.

Quando capta eſt per vim Rocca d'Archis.

SUbditur imperio Notani gloria caſtri,
Quo Dux à miſero Rege Burellus erat. *n*
Exemplum cujus quamplurima caſtra ſequuntur,
Archis enim Princeps nomen & eſſe gerit.

Quando

m *montis* - - *Caſini*,] Hujus Monaſterii Abbas erat *Rofridus*, qui ingenti metu perculſus, & tùm morbo vehementiore decumbens, ſe cum ſuis Cæſari dedidit, nam ipſe Tancredo haud occultè ſtudebat: quem, cùm Henricus parùm ei fideret, ſecum in Germaniam poſteà abduxit. *Richardus* de *S. Germ.* ib.

n *Dux* - - *Burellus erat.*] *Matthæus Burellus* caſtro *Roccæ Arcis* à Tancredo cum præſidio fuerat præpoſitus, ſed cùm diu multa obſidionis mala toleraviſſet, de omni ſubſidio deſperans, arcem hoſti tradidit.

Quando Capuanus Antiſtes gaudens Auguſtum recepit.

IN Capuane Pater *o* nec te conſulta morentur,
 Armos quadrupedis calcar utrumque cavet.
Quem tua ſpectabant ſuſpiria, vota petebant,
 Ecce venit Dominus, quem tua vota petunt.

ASſigna populos, aquilis victricibus orna
 Mœnia, quod doleas ne furor enſis agat.
Poſtpoſitura fidem tua gens, ſanctiſſime Præſul,
 Suſcipit ancipiti corde ſalutis opem.

o *Capuane Pater*] *Godefridus Monachus* p. 259. centum ſexaginta loca, plerumque munita, & inter hæc *Capuam* memorat, quæ in poteſtatem Cæſaris venerunt; ſed Capuam paulo poſt Cæſariani relinquere coacti fuerunt; nam *Richardus Acerrarum* Comes, Tancredi fortiſſimus propugnator, Capuæ Arcem acriter oppugnans, poſt aliquot dies eam recuperavit, qui *Muſcancervellum*, à Cæſare cum militaribus copiis ibi relictum, dimiſit incolumem. *Rich. de S. Germ.* ib.





URBS NEAPOLIS
OBSESSA RESISTIT.

UT mare ſpumeſcit ſubitò, nubeſcit ut aër,
Obſidet ut quercum multa columba brevem.
Sic tua Parthenope *p* confinia Cæſar obumbrat,
Et niſi pugnaſſent munera victa fores.
Juſſit ut à dextris Cæſar tentoria figi,
Circuit in celeri mœnia celſus equo.
Sat præmunitam gaudens circumſpicit urbem,
Mœnibus & vallo, turribus atque viris.
Machina conſtruitur, celſis ſe mœnibus æquans,
Porrigit ad lapides brachia longa graves.
Ex hac Colonii pugnant *q*, hac parte Boemi,
Hac Dux Spoleti mœnia temptat eques.

Ex

p *Parthenope*] Hoc eſt nomen antiquiſſimum urbis *Neapolis*, cui Cumani, à quibus condita eſt, quòd crediďiſſent *Parthenopen* Sirenem ibi ſepultam fuiſſe, hoc nomen dederunt. Henricus Cæſar urbem *Neapolim* arctiſſimà obſidione clauſit, eamque terra marique oppugnavit, verùm *Richardus* Tancredi adfinis, qui urbem cum præſidiariis militibus ſtrenuè defenderat, Cæſaris conatibus tantoperè reſiſtebat, ut coactus fuerit, infectis rebus, obſidionem ſolvere, cùm inſuper pleræque ejus copiæ peſtilenti lue fuerint extinctæ. *Rich. de S. Germ.* p. 549. *Otto de S. Blaſio* c. 37.

q *Colonii pugnant*,] Ipſe *Archiepiſcopus Colonienſis* cum electa manu militum Cæſaris caſtra ſequutus eſt, & in obſidione Neapolitana morbò correptus, obiit: cujus mortui corpus Cæſar *Coloniam* deportari curavit.


Ex hac turma virûm, plenis ſuccincta pharetris,
Pugnat, & hac equitum plurima tela micant.
Hic notat in muro ſinuato cominus arcu,
Muſſantem cupidum bella videre [r] virum.
Hic alium ſtantem, convicia plura minantem
Colligit, & medio corrigit ore minas.
Unus erat, qui ſaxa ſuos jactabat in hoſtes,
Vocibus inſultans talia verba dabat.
Jam ſine Cæſarie vel jam ſine Cæſare facti,
Vix alacer de tot milibus [s] unus erit.
Noſter ſi qua poteſt Auguſtus in ore leonis [t]
Auguſtum veſtrum tondet & ejus oves.
Hunc aliquis ſtantem baliſtæ cornua flectens
Percutit, & ſumma lapſus ab arce ruit.

r *bella videre*] Intelligit autem prælia atque certamina, quæ Cæſariani ad portas & mœnia urbis contra Tancredinos, de muris ac turribus dimicantes, ciebant: & ſic ſæpè elegantiores auctores *bellum* pro *prælio* poſuere. Sall. B. Cat. c. 9. qui tardius revocati *bellò* exceſſerant, i. e. *prælio.* Livius l. 8. c. 10. præcipua laus ejus *belli* penes Conſules fuit.

s *de tot milibus*] Ita in Codice ſcriptum eſt non *millibus*, & ſic in omnibus veteribus auctorum Codicibus manu exaratis, quos Bibliotheca publica *Bernæ* ſervat, hæc vox cum ſimplici *l* ſcribitur, quæ quidem recta atque genuina ſcriptura videtur, ſi enim *miles*, *militia* dicitur, non *milles*, *millitia*, cur *mille* cum dupli- ci *ll* ſcribendum foret, cùm *miles* haud dubiè à *mile* denominatus ſit, quòd Romuli temporibus quæque tribus mile homines conferret in Legionem, unde qui inter hos erat, dicebatur *Miles* quaſi *mileſimus*, ſeu unus ex illis *Mile*: doctè hæc docente *Perizonio* ad Sanct. Minerv. l. 4. c. 16. p. 837.

t *in ore leonis*] Lege *more Leonis.*

COMI-



COMITIS PERCUSSIO,

ET

SALERNI

EXAUDITA PETITIO.

Cùm Comes egregius *u* Tancredi gloria ſpesque,
Cæſaris invicti cernere caſtra velit.
Se tegit electis, & mœnia ſcandit in armis,
Illudensque viris ars quibus arcus erat,
Quem quis percipiens liceum *x* plicat auribus *y* arcum,
Lapſa-

u *Cùm Comes egregius*] *Richardum Acerrarum* Comitem intelligit: Si verò author exiſtimaret, Comitem hóc ſagittæ ictu exanimatum fuiſſe, & ſibi ipſi non conſtaret, cùm infra rurſus ejus mentionem faciat, & tabulæ adpictæ contradiceret, quæ *Richardum* utramque genam transfoſſum ſiſtit, cum inſcriptione, *quando Riccardus Acerrarum Comes percuſſus eſt*, ipſumque Medicum manum ſagittæ, ut eam extrahat, admoventem: Ex vulnere ergò illo recreatus convaluit.

x *liceum arcum*,] Lycias pharetras, lycioſque arcus apud veteres famâ celebratos fuiſſe conſtat, haud dubiè cùm ob ſingularem ſagittandi artem, quâ gens illa præſtabat, tùm & ob egregiam, artificioſam, commodamque eorum formam. Virgil. l. 7. Æn. v. 814.

- - - - ut Regius oſtro
Velet honos læves humeros, ut fibula crinem
Auro internectat, *lyciam* ut gerat ipſa *pharetram*.

Inde

Lapſaque per medias arſit arundo z genas.
Ut fragor antiquæ nemus Ilicis a implet & auras,
Turbine quæ rapido vulſa vel icta ruit.
Sic à ſtrage tua Comes omnis murmurat ætas,
Et Rex ille tuus de breve fit brevior.
At miſer Antiſtes Comitis ſuccingitur enſe,
Polluit oblitâ religione manus.
Pars rate tuta vagans lunatos explicat arcus,
Per mare quos ſequitur nante Boëmus equo. b

Suppli-

Inde etiam in militia, qui cæteros bellicâ gloriâ anteire volebant, *lyciis* arcubus utebantur: *Herodotus* l. 7. c. 77. infinitum illum populorum numerum enarrans, qui cum Xerxe in Græciam deſcenderant, de *Milyis* ait, haſtas breves gerebant, & veſtes fibulis ſubſtrictas, & eorum nonnulli *Lycios arcus*.

y *plicat auribus*] Pro *applicat*, voce ſimplici pro compoſita, ex more præcipuè Poëtarum, uſus eſt, Virg. l. 8. Æn. v. 75. Communemque *vocate* Deum: pro *invocate*. idemque *tueri* pro *intueri*, *ponere* pro *deponere* &c.

z *Lapſaque - - arundo*] Et hic veſtigia priſcorum poëtarum premit, ad indicandum celerrimum ſagittæ volatum quâ Comes percuſſus fuit.

a *Ut fragor - - Ilicis*] Elegantiſſimâ hâc ſimilitudtne, quæ ab arbore proſtrata petitur, etiam uſus eſt *Quintus Smyrn.* Poëta recentior licèt, cum plurimis tamen veterum de ſuavitate certans l. 1. v. 247. & ſeq.

Ἠδ' ἔπεσεν, ἠΰτ' ἐν οὔρεσι
δρυοτόμοι τέμνουσιν ὑπείροχον ἠδ' ἀλεγεινὸν
ῥοῖζον ὁμῶς καὶ δοῦπον ἐρειπομένη προΐησιν:
ὣς ἣ ἀνοιμώξασα πέσεν.

i. e. Quæ procubuit - - quam in monte eminentem cædunt lignatores, atquē horrificum ſtrepitum & fragorem procumbens edit: Sic illa cum gemitu cadit.

b *Pars rate - - nante - - equò.*] Quod hic author memorat de Boëmis, Tancredinos, de navibus dimicantes, equis per mare perſequentibus, contrarió planc more, & quaſi non ſine miraculo accidit, cùm *Helvetii Carolum Audacem* Burgundiæ Ducem ad Moratum cum omni exercitu fudiſſent, plurimi equites pediteſque, quò iram inſtantium hoſtium effugerent, in adjacentem urbi lacum ſeſe

præci-

SUpplicat interea preciosæ nuntius urbis,
Exponens juvenum pectora, vota senum,
Corda puellarum, mentes & gaudia matrum,
Et quicquid voti mens puerilis habet.
Sic ait Archoticon *c* veniens tua nobilis uxor,
Sublimis sedeat patris in urbe sui.
Hîc victor *d* fera bella geras, tua nupta Salerni
Gaudeat, & dubiam servet in urbe fidem.
Nam si bella placent, non desunt prælia longè,
Hen turris major bella diurna movet.
Est prope non longe Jusonis inutile castrum *e*,
In quo furtivi militis arma latent.

Est

præcipites dederunt, in quo omnes, præter Equitem cataphractum, submersi perierunt, is enim lacum, cujus latitudo dimidiæ horæ spatiô finitur, cum equo tranavit, & in adversam ripam integer & incolumis evasit. Stumpf. Chron. l. 8. c. 18.

c *Sic - - Archoticon*] Cùm Henricus Neapolin obsideret, *Salernitanorum* Legatus eum accessit, supplexque ab eo petiit, ut Augustam pateretur, Imperii sui sedem *Salerni* figere. Quis verò ille *Archoticon?* D. *du Cange* in Glossario suo dicit, Græculos posteriores *Archonticon* vocasse ordinem optimatium, sive amicos Principis, qui ei semper in consilio adessent, ut ergo hic *Archoticon* sive potius *Archonticon*, unus ex horum cœtu esset: quod etiam hic locum habere potest, quòd illo tempore Græculi passim Italiam, sed inprimis inferiores illius partes, oram maritimam, atque Siciliam incolerent.

d *Hic victor &c.*] Precatur, ut Neapolin sub suam potestatem redigat, uxor verò ejus Salerni almâ pace fruatur: sed falsus fuit legatus, utrôque enim votô excidit Cæsar, nam neque Neapolin occupare valuit, neque Constantia, ob dubiam Salernitanorum fidem, vel potius perfidiam diu ibi tuta permansit.

e *Jusonis - - castrum*,] Quale castrum intelligat, non liquidò constat, cùm Geographia mediorum temporum nondum in tantam lucem sit producta, in quantam vetus illa, nec etiam facilè produci queat, ob idoneorum monumentorum inopiam: præterea cùm Barbari diversarum gentium *Italiam* præcipuè invasissent, tota illius terræ facies cum nominibus prioribus immutata est, dum urbes castellaque

Est prope dulce solum, nobis satis utile semper
Ebolus *f*, aspirans quod petit urbis *g* honor.
Est prope Campaniæ castrum, specus imò latronum,
Quod gravat Eboleam sæpe latenter humum.
Hæc ubi Legatus fert coram Principe mundi,
Magnanimus Princeps quod petis, inquit, erit.
Protinus almipater Capuanæ sedulus urbis,
Suscipit à Domino talia jussa suo.
I bone namque pater, mentis pars maxima nostræ,
Facturus semper quod mea nupta velit.
Hæc ubi Legatus notat impetrata Salerni,
Solempnem peragunt gaudia plena diem.
Exiit edictum Dominam cras esse futuram,
Cujus in adventum se sibi quisque parat.


laque vetera exsciderunt, nova extruxerunt, aut illis, quibus pepercerunt, barbara nomina imposuerunt. *Falco Beneventanus* in Chron. ad annum 1128. memorat Honorium Pontificem cum Beneventanis civibus, Robertòque Principe Capuanò, castellum *Turris Palatii*, quod esset *Ugonis* obsedisse, tandemque expugnasse: Idem fortè hic castrum intelligendum est, adeò ut, quod primùm à Domino illius castri *Hugonis*, postea *Jusonis* vocaretur.

f *dulce solum* - - *Ebolus*,] Chronicon *Amalphitanum* citatum *Henr. Baccio* in descriptione *Principatûs Citra*, meminit hujus civitatis ad annum Christi 339. his verbis: *Romani dimissà Melphi ad provinciam Principatûs pervenerunt usque* EBOLUM PROPE SALERNUM. nomen à fertili solo, eòdem auctore teste, nactum fuisse putatur, Græcis enim βῶλος gleba vocatur. Virg. l. 1. Æn. v. 535.

Terra antiqua, potens armis, atque ubere *glebæ*.

ad cujus loci fertilitatem author alludens, *dulce* illius *solum* prædicat; nec alienum fortè esset cogitare, *Petrum d'*EBULO *dulce Solum* EBOLUM vocare, quòd patria sua *Ebolus* esset, eòdemque sensu illa verba esse intelligenda, quò Ovidii l. 3. Trist. el. 8. *Patriæ dulce Solum.* Constat enim inter omnes illius ætatis hominibus sua propria nomina non fuisse, sed illa plerumque à Natali Solo petita, communia cum pluribus aliis habuisse: nec est, quod quis in eò offendatur, Nostrum *Ebulo*, non *Ebolo* in Codice appellari, notum enim est, quòd *o* & *u* sæpius inter se confundantur.

g *urbis*] Salerni.



IMPERATRIX
SALERNUM
INGREDITUR.

SOl ubi ſidereas amovit craſtinus umbras,
Urbs ruit *h*, & Dominæ plaudit Oſanna ſuæ.
Trinacriis *i* pars fertur equis, qui flore fruuntur
Oris & ætatis *k*, pars ſedet acta rotis.

Ipſa

h *Urbs ruit,*] Propriè hoc verbum & adpoſitè hic ponitur, eò enim optimi ſcriptores utuntur, cùm de multitudine incompoſita ſermo eſt, quæ catervatim ac effuſè ad rem aliquam haud vulgarem & inſolitam ſpectandam adcurrit. Phædrus l. 5. fab. 1.

Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim *ruunt:*
Feliciter ſubclamant.

Ovid. l. 15. Met. v. 729.

Huc omnes populi paſſim, matrumque patrumque
Obvia *turba ruit.*

i *Trinacriis*] i. e. *Siculis*, Sicilia enim, ùt pueris notum, à tribus promontoriis, quæ Græci ἄκρα nominant, *Peloro*, *Pachyno*, & *Lilybæo*, *Trinacria* dicta eſt.

k *flore - - Oris & ætatis*] *Florem* pro adoleſcentia, & florentiſſima parte ætatis frequenter ſcriptores elegantiores uſurpant. Ovid. l. 7. Met. v. 215.

Nunc opus eſt ſuccis, per quos renovata ſenectus
In *florem redeat.*

Flos enim generoſiſſimus vigor cujusque animantis, & ſummus rei decor appellatur:

Ipsa puellaris vittis *l* insignis & auro
 Occurrit cultu turba superba suo.
Mollis & insolitus gressus *m* fastidit arenam,
 Tardat arenosum littus & unda pedes.
Cinnama, thus, aloë, nardus, rosa, lilia, mirtus *n*
 Inflam-

tur: *Os* autem sæpius ita & hic pro totâ facie sumitur, & Poëta in *Ænea* suo *Oris florem* divinè prorsus his expressit l. 1. Æn. v. 593. &c.

 - - - namque ipsa decoram
 Cæsariem nato genitrix lumenque juventæ
 Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

l *puellaris vittis*] Puellæ apud Romanos vittis faciem obvelabant, ne vel ipsæ in juvenes liberô lascivôque obtutu, vel hi in illas exardescerent: Inde *Ovidius*, qui sibi pronam semper facilemque Venerem optabat, *vittatas* ejuscemodi, utpote castas, vel saltem castitatem simulantes, longè à se abesse jubet, L. 1. de Rem. Amor. v. 385.

 - - lascivia libera nostra est.
 Nil mihi cum *vitta*: Thais in arte mea est.

m *Mollis* - - *gressus*] In puellis commodè ac delicatè incedere, laudi olim ducebatur, indè Ovid. l. 3. de Art. Am. v. 298. puellis præcipit,

 Discite femineo corpora ferre gradu:
 Est & in incessu pars non temnenda decoris.

Quare *Catullus* Carm. 67. v. 70. *mollem pedem* in sua Diva miratur: id Græci ἁβρὰ βαίνειν dixerunt. Eurip. in Med. v. 1164.

 ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί.

i. e. Molliter incedens pede albo, ad quem Cat. locum videatur humanissimus *Vulpius*.

n *Cinnama*, - - *mirtus*] Fragrantissima odoramenta *Ovidius* l. 10. Met. v. 307. seq. hæc posuit:

 - - - - Sit dives amomo,
 Cinnamaque costumque suum, sudataque ligno
 Tura ferat, floresque alios Panchaja tellus.

& Met. l. 15. v. 398. seq. de Phœnice nidum emortualem componente, alia insuper, quæ præter *Panchajam*, sive *Sabeam*, Arabia profert, memorat:

 Quo simul ac casias, & nardi lenis aristas,
 Quassaque cum fulvâ substravit cinnama, myrrhâ,
 Se superimponit, finitque in odoribus ævum.

Inflammant nares, aëra mutat odor. *o*
Tantus odor nares nardinus *p* inebriat afflans *q*,
Quod nova perfundi balſama quiſque ferat.
Junonem ſpectare ſuam *r* quis tardat in urbe?
Cæſaris in laudes Cantica nemo ſilet.
Ut modulantur aves foliis in vere renatis,
Poſt noctes yemis, poſt grave tempus aquæ.
Non aliter verno venienti plauditur ore *s*,

Teſtan-

o *aëra mutat odor.*] Ovidius haud pauló elegantius l. 15. Met. v. 734.

- - & *odorant aëra* fumis.

p *Tantus odor - - nardinus.*] Unguenti *Nardini*, quod reliquis omnibus palmam præripiat, rationem temperandi *Plinius* docuit l. 13. c. 1. 2. Hiſt. Nat. Delicatiores Romani, & qui puellis idonei vivere volebant, *nardô* comam inungebant. Ovid. l. 3. Art. Am. v. 443.

Nec *Coma* vos fallat liquidâ nitidiſſima nardô.

q *nares - - inebriat adflans*,] Inſolitò more odorem nardinum *nares inebriare* dixit, melius Lucretius l. 2. v. 847. Et nardi florum nectar qui *naribus halat.* ùt ergò hic *balantem Nardum*, ſic Claud. in Conſul. Prob. & Olybr. v. 252. *ſpirantia*, i. e. redolentia *balſama* ſcripſit.

r *Junonem - - ſuam*] Quùm ſupra Cæſarem JOVEM appellarit, rectè uxorem ejus Conſtantiam JUNONEM nunc vocat, Jovis quippe conjugem.

s *verno venienti plauditur ore*,] Quid cum *verno* hôc *ore* agam neſcio cum incertiſſimis, quocumque enim id vertam, fœda remanet ἀκυρολογία: ſive hunc ſenſum inde eliciam, uti tempore, quô

Solvitur acris hiems gratâ vice *Veris* & Favoni

canoræ paſſim & garrulæ aves audiuntur, ita nunc Salernitani cives, venienti ad ſe Auguſtæ, verbis benè ominatis applaudunt, eamque fauſtis acclamationibus proſequuntur: ſive per *Vernum os* intelligam morem illum *Vernarum*, qui quòd eſſent ex cive Romano & ancilla prognati, teſte *Feſto* in hâc voce, omnia ſibi licere arbitrabantur, liberiusque ſæpe in quosvis jocabantur, & facetias ſuas expromebant, quòd patres erga ſe plerumque indulgentiores ſentirent, quare *procaces*

Vernæ

Testantur pariter luminis ecce dies. *t*
Ingreditur patrias tandem Constantia sedes,
    Quæ Tancridinam sentit in urbe fidem. *u*
Quam plures tacita collecti voce susurrant,
    Inter se referunt omina versa Ducum.
Mons fugit à castro *x* quantum volat acta sagitta,
    Et quantum lapides mittere funda potest.
Hunc super ascendunt, fit machina, pugna vicissim
    Contrahitur, variant mutua bella vices.
Hinc fera tela volant, fluviales inde lapillos
    Funda jacit: lassant jactaque saxa manus.
Et modò tentantes *y* mixti propè mœnia pugnant,
    Pugnando miscent tela, manusque sonos. *z*

Ut

Verna Horatio dicuntur l. 2. Sat. 6. inde & *Vernilitas:* adeo ut hôc sensu *verno ore* esset *festivò*, *facetoque ore:* Verùm exemplum non memini, quò *vernus* à *verna* dicatur, licèt & *verna* à *vere* derivetur, eòdem *Festò* teste.

t *Testantur pariter luminis ecce dies.*] Lego, *testantur pariter luminis esse dies.* Per *dies luminis* intellige dies candidos, albis notandos lapillis: uti apud Ovidium l. 1. Trist. el. 9. v. 13. *lumina fortuna*, sunt læti, prosperique dies.

u *Tancredinam - - fidem.*] Constantia, quamprimum Salernum ingressa est, plures præter opinionem *Tancredinis* partibus esse addictos, sensit.

x *Mons fugit à castro*] Quæ hic fuga montis, quis unquam barbarus ita loquutus est? *lapidosos surgere montes* dixit Ovidius l. 1. Met. v. 44. & plures alii, sed *fugere* nemo sanus: lege ergò *mons fuit*, uti idem Ovid. ep. 10. Her. v. 25. *Mons fuit*, adparent frutices in vertice rari. *Fuit & fugit* sæpè in MSS. confusa fuisse, docet Heins. ad Ovid. epist. 17. v. 192.


y *modò tentantes*] i. e. Lacessentes, adorientes; est enim hoc verbum ex absolutè positis, ùt apud Vellej. l. 2. c. 113. ut partem digredientium suorum universi *tentare* non possent: i. e. aggredi.

z *manusque sonos.*] Fortè rectius legeretur, *manuque sonos.*

Ut canis inter apros furit, è quibus eligit unum,
Ut rapit accipiter, quam legit inter aves.
Non aliter noſtri vellunt ex hoſtibus unum,
Commixto rapiunt ordine ſæpe duos.



LEGA-



LEGATUS PRINCIPIS
ET
INFIRMITAS.

PRincipis interea veniens legatus in urbem *a*,
  Eligit è multa nobilitate viros.
Quos ad Neapolim mittit, qui multa timentes
  Expediunt dubia mente laboris iter. *b*
Inter quos fuit Alfanides cognomine Princeps
  Aldrisius populi publica lingua sui.

Libra-

a *Principis* - - *in urbem*,] Cæsar *Henricus* ad Neapolin sedens, & ipse gravi valetudine pressus legatum Salernum mittit, ut Principes quosdam illius oppidi cives ad se arcesseret, quò illos, si sibi fortè humani quid accideret, nam tùm periculosè ægrotabat, in exercitu suo quasi obsides detineret, ne fidem uxori datam, se mortuò, fallerent, aut pejus in eam consulerent.

b *Expediunt* - - *laboris iter.*] i. e. Peragunt, conficiunt, explicant iter illud, uti Plin. loquutus est l. 8. ep. 1. *Iter* commodè *explicui*. *Laboris iter*, est iter in *terram* sive provinciam *laboris*, uti posteriori ævo vocata fuit, cujus caput Neapolis est, Italis hodiè *Terra di Lavoro*.

Libraque judicii Romoaldus, cetera turba
Quid velint auguriant *c* nescia causa viæ.
Principis ut veniunt ad castra, Magalia *d* circum
Herrant *e*, mirantes agmen & arma Ducum.
Exquirunt spectare suum per castra Tonantem *f*,
Nec datur accessus *g* Dux ubi magnus erat.

Atta-

c *auguriant*] Barbarè pro *conjectant*, D. *du Cange* in glossario suo omisit hanc vocem, habet tamen *Auguriosus*, *Augur*.

d *Magalia*] *Mapalia* & *Magalia* dicuntur apud veteres Casæ, Domunculæ Rusticæ, item Tentoria, Tabernacula, quales Scenitarum & Nomadum mansiones sunt, & est vox Punica. Sed *Isidorus* magno conatu, *Magaria* dicendum esse, contendit l. 15. c. 12. Orig. ipsi quoque Græci Μέγαρον, domum, ab Hebræo מגור i. e. habitatio peregrini derivarunt, è quo Syri fecerunt *Magar*, & eorum coloni Afri, eâdem linguâ utentes. in plurium numero casas suas *Magaria* vocarunt. Videatur *Reinesius* de L. Pun. cap. 8. §. 7.

e *Herrant*] Pro *errant*, & sic veteres manu exarati libri plerumque scribunt, & *h* præponunt, vel ab initio vocis, ùt apud Gellium *Harriano* pro *Arriano*, ad *Halliam* pro ad *alliam* &c. vel in media interserunt, ùt apud eundem *cohopertus*, & apud Lactantium *perhempni* pro *perenni*, *cohercebunt* &c.

f *Tonantem*,] Est epitheton ita Jovi singulare, ut pro ipso *Jove* ponatur à Claud. in Conf. IV. Hon. v. 134.

Cretaque se jactet tenero reptata *Tonanti*.

& cùm is Summus Deorum creditus fuerit, ita huic opinioni convenienter *tonitrua ciere*, proprium Jovis opus, ad summam ejus potentiam ac majestatem indicandam, arbitrati sunt: Unde Homero ὑψιβρεμέτης, Hesiodo βαρύκτυπος, & in Cyrrhestarum nummis Ζεὺς καταιβάτης dicitur; Ex hac fabulari Theologia Gentilium, non piè Poëta Christianus Cæsarem, licèt inter homines ad summum majestatis ac potentiæ fastigium evectum, *Tonantem* vocat: tantò id magis, quòd *Salmonei* Elidos Regis impietas ipsi profanæ antiquitati execrata fuerit, Virg. l. 6. Æn. v. 585.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis & sonitus imitatur Olympi.

g *Nec datur accessus*] Nepos idem melius expressit in Pauf. c. 3. *aditum conveniendi* petentibus non dabat.

Attamen ingreditur, quem gens cognominat Archos *h*,
 Excluſis ſociis quem petit unus adit.
Ut videt Auguſtum magnis à febribus actum,
 Lentaque purpureo membra jacere thoro.
Tum color & ſpecies tum ſanguis ab ore receſſit,
 Triſtis & exanguis procidit ante thorum.
Ut gravis è ſompno cum mater in ubere natum
 Invenit exanimem, territa mente caret.
Sic ruit in gemitum lacrimabilis *i* Archi-Levita,
 Certans pro tanto Principe velle mori.
Tunc pius Auguſtus, quamvis grave corpus haberet,
 Conatur tenui taliter ore loqui.
Parce tuis oculis fidiſſima cura Salerni *k*,
 Sum benè, ne timeas, tertia febris abeſt.
Fer ſub veſte manum, pulſum perpende quietum,
 Spes eſt de vita, quod mea membra madent.

Pluri-

h *Archos*,] Haud dubiè idem eſt, quem ſupra legationis Salernitanæ Principem *Archoticon*, & paulò inferius *Archilevitam* vocat, eratque Archiepiſcopus Salernitanus.

i *lacrimabilis*] Propriè hæc vox patiendi vim habet, & idem ſignificat, ac *lacrymis dignus*, ùt *lacrymabile bellum* Virgilio, Æn. l. 7. v. 604. Verùm auctor activè uſurpat, pro eo qui *effusè lacrymatur:* ſed hoc non redolet caſtam latinitatem, verùm quid mirum? dudum enim homines, auctore noſtro vetuſtiores, & etiam litteris haud leviter imbuti, veram vocum ſignificationem perdiderunt. Sic *Eutropius* jam *favorabilis* uſurpavit, pro eo, qui in magno favore civium, ſive gratioſus eſt.

k *fidiſſima cura Salerni*,] Qui curam agis populi Salernitani, quò ſenſu Ovidius de Auguſto Triſt. l. 2. v. 574.

O Pater, ô *Patriæ cura*, ſaluſque tuæ.

F 2

Plurima cum vellet ſopor eſt furatus ocellos *l*,
Hinc rapit intuitus, ſurripit inde loqui.
Artis Ypocraticæ ſervans mandata Girardus *m*,
Attentè famulis ora tenere jubet.
Naturæ ſervabat opus ſtudioſus *n* amicum,
Nam ſopor & ſudor ſigna ſalutis *o* erant.
Exiit ad ſocios tandem pius Archilevita,
Conantur lacrimæ non minus ore loqui.
Alter in alterius jactabant lumina vultus,
Miſcentes lacrimas mutua verba dabant.

l *ſopor eſt furatus ocellos*,] Longè pulchrius Ovid. Her. ep. 19. v. 56.
- - ſubit furtim lumina ſopor.

m *Girardus*,] Is erat, qui Cæſari, cum maligna febri conflictanti, medicinam faciebat.

n *Naturæ ſervabat opus ſtudioſus*] *Girardus* Medicus obſervabat ſtudioſè, quem natura effectum in Henrico editura eſſet, vel quæ ſigna ſalutis ſeſe proderent, ut pro illorum ratione curationem ſuam inſtitueret: *ſervabat*, pro *obſervabat*, uti Virg. l. 6. Æn. v. 338.
- - dum ſidera *ſervat*.

o *ſopor & ſudor ſigna ſalutis*] Num hæc vera, ac fallere ſint neſcia, videant Medicorum filii, id ſaltem certum eſt, ſomnum & ſudorem in febricitantibus certiſſima ſalutis ſigna à veteribus Medicis exiſtimata fuiſſe: Extant *Aetii* libri, Conſtantini magni tempore Græcè ſcripti, in quos priſcorum Medicorum præcepta accuratè congeſſit, is autem ait l. 1. p. m. 5. edit. Aldin. *Ex flore Anthemidis, qua & Chamæmelum dicitur, fingendos eſſe Trochiſcos, ex quibus poſtea Trochiſcum unum, probè exiccatum, eſſe comminuendum, adjectaque ſufficienti quantitate olei optimi, corpus febricitantis à capite ad pedes perungendum, perundos autem veſtibus obtegendos; Movebitur hinc* ſudor, ſalutis optimum indicium, *& febris deinde ceſſabit.* Quod is de *ſudore* ſolùm, id *Celſus* de *ſomno ſudoreque* ſimul prædicat: *poſt infractum calorem*, inquit, plenus ſomnus *venit*, *per quem* ingens ſudor *effunditur*, idque præſentiſſimum auxilium eſt, de *Med. l. 3. c. 8.*

RECE-



RECEDENTE

AUGUSTO

ab

OBSIDIONE NEAPOLI,

COMES RICCARDUS,

ET

NICOLAUS PRÆSUL SALERNI,

prohibent, ne populus extra muros atemptet exire.

CEreus ille Comes *p* ſociis munitus & aurô
Mandat, ut educat nullus ab urbe pedem.
Sic ait, in denſis latitans Philomena rubetis,
Non timet adverſo mitis ab ungue capi. *q*

Cum

p *Cereus Comes*] Richardus Acerrarum Comes.

q *ab ungue capi.*) Accipitris puta, ſic Ovid. C. 6. Met. v. 529.
Utque columba ſuo madefactis ſanguine plumis
Horret adhuc, avidosque timet, quibus hæſerat *ungues*.
legendum fortè *rapi*, ita Poëtæ fere ſemper, quando de violento impetu, quô rapaces & carnivoræ aves in alias feruntur, ſermo illis eſt. Virg. l. 12. Æn. v. 249.

- - ſubito cùm lapſus ad undas (*aquila*)
Cycnum excellentem *pedibus rapit* improbus *uncis*.

Cum Domino mundi, quis enim contendere bello
    Ausus erit, vel quis obviet ense pari,
Si placet, ô cives meliori mente fruamur,
    Pro nobis aurum pugnet, & arma ferat.
Si sapitis cives, Comes exeat, instet in armis,
    Laus est pro Domino succubuisse suo.
Parcite parcendis, electis parcite vestris,
    Quisque suas vires noverit unde timet.
Robore forte caret, medio, quam cernitis, arbor
    Sub vacuo spirat cortice nulla fides.
Pronior ad casum, quanto procerior arbor
    In quam ventus agit, fulminat ipse Deus.
Quid Nicolaus agit [r], puer actu, nomine Præsul,
    Quid nisi fœmineas abluit ipse genas.
Credite pastori pecudes, pecudes alieno
    Tam malè qui proprium curat ovile suum.
Quid facis ô Cæsar, quid frustra menia temptas,
    Obnebulant socios regia dona [s] tuos.
Qui falsò remeare rogant, ne morbus in artus
    Fortius insurgat, qui grave reddat iter.

r *Nicolaus agit*,] Salernitanorum Archiepiscopus.

s *Obnebulant - - regia dona*] Hoc est Ovidio l. 7. Met. v. 720. donis sollicitare fidem.



IMPE-



IMPERIALIS ab OBSIDIONE REGRESSUS.

UT videt ære Duces ſaturatos Cæſar & aurum;
Eructare ſuos, mens ſubit iſta loqui.
Qui fluvios noſtros dudum ſiccaſtis Yberos *t*,
In fontes ſiculos mergitis omne caput. *u*
Æquor adhuc ſupereſt, licet inpotabile vobis,
Nec mare quod ſaturet vos nec Abyſſus habet.

Nec

t *Qui fluvios - - Yberos*,] Hiſpaniam antiquiſſimis temporibus *Iberiam* à fluvio *Ibero* vocatam fuiſſe nemo eſt, qui ignorat. *Fluvii Iberi* igitur ſunt, non ſolùm Hiſpaniæ, ſed etiam Luſitaniæ fluvii, quam olim etiam Hiſpania latè ſumpta complectebatur, quæque etiam ob Tagum Duriumque, fluvios arenam auream volventes perquam celebrata fuit; Itaque fluvii illi auriferi, ſeu potius ærarium ſuum, imperiique ſui reditus dudum, ait Cæſar, ab hominibus ſuis malâ fraude atque rapinâ eſſe exhauſtos, vel ut eos ſibi fidos redderet, largitionibus doniſque diminutos.

u *fontes ſiculos - - caput.*] Nondum verò ſatiatam eſſe ſacram illam auri famem, neque eos ſatis habuiſſe, avidas viſcataſque manus in ſuas opes injicere, ſed inſuper, quùm nihil hinc, quod furentur, ſuperſit, ab hoſte ſuo Tancredo, Siciliæ Tyranno, fidem ſibi debitam, atque ſolenni ſacramentô confirmatam, pecuniâ ſollicitari patiantur.

Nec mora, comperta tunc Cæſar fraude ſuorum,
  Arripit à tritea febre *x* coactus iter. *y*
O quantum pœnæ, quantumve timoris in omnes
  Sollicitans animos intulit illa dies;
Ut coadunat oves timor à paſtore relictas,
  Quas canis excluſit, ſolus ab ore lupi. *z*
Non aliter quos imperii pia gratia fovit,
  Hic flet, & ille dolet, regnat ubique metus.
Quid tibi tunc animi, quæ mens fuit Archilevita
  Cùm recipis vetitum poſſe videre Jovem. *a*

Et

x *tritea febre*] i. e. Tertiana.

y *Arripit - - iter.*] Cæſar, non ſine dolore videns ſuos Tancredinorum aurô corruptos, ipſosque Tancredinos urbem Neapolim fortiſſimè propugnantes expertus, præterea acri febre attenuatus, noluit diutius cum tot tantisque malis uno tempore conflictari, ſed ſe quamprimum his expedire cupiens, obſidionem ſolvit, iterque in Germaniam ingreditur, ut, reparatis ibi viribus, valentior poſtea cum hoſtibus ſuis congrederetur. *Breve Chron. Mon. Caſſinenſis* p. 493. in Burm. Theſ. Ital. Vol. 23. paucis hanc Cæſaris ex Italia profectionem attingit: *Imperator Neapolim obſidet, à menſe Maji usque ad menſem Auguſti, & tum infirmatus obſidionem deſerit;* & ſtatim poſteà: *Imperator infirmus majori parte ſuorum aëris intemperie mortuâ - redit in Theutoniam menſe Septembri.* vid. & *Rich. de S. Germ.* p. 549.

z *Quas canis - - ab ore lupi.*] Quæ præſens uſus atque neceſſitas poſtulat æque veteribus ac noſtris hominibus fuêre frequentata: ita & illis in more fuit, canes alere, qui rabidis luporum dentibus reſiſtendo, atque eorum impetus in gregem imbecillum arcendo pares eſſent: in illis præcipuè locis ubi propter cæli temperiem & ubertatem ſoli oves etiam noctu per paſcua divagari ſinebant. Theocr. Idyll. 5. v. 106.

Χ᾽ ἁμῖν ἐστὶ κύων φιλοποίμνιος, ὃς λύκος ἄγχει.

i. e. *& nobis canis eſt, cuſtos gregis, qui lupos ſtrangulat.* Inde in Anthol. l. 3. c. 25. tales vocantur λυκοσφαῖται κύνες. i. e. Lupicidæ canes.

a *Cùm recipis - - Jovem.*] Cùm audis, diſcedente eâ nocte Cæſare, Tibi non amplius ejus conveniendi copiam fore.

Et tamen evelli ſubitò tentoria cernis,
Nox erat, & caſtris nec fragor ullus erat.
Funes comburi, teſtudinis oſſa cremari
Cernis, & auxilium pallidis omne rui.
Ut quatit aura novas reſecandæ meſſis ariſtas,
Ut movet æquoreas Æolus aſper aquas.
Sic ſic Alfanides *b* patrii cognominis hæres,
Et ſine ſpe reditus *c*, & ſine mente tremit.
Tunc dolor & lacrimæ ſingultibus ora fatigant,
Tunc mens Socratici pectoris *d* omnis hebet.
Anxius ignorat, quid agat, reſponſa referre
Ulla times *e*, labor eſt Itala caſtra ſequi *f*,

Quem

b *Sic ſic Alfanides*] Fuit is ex illis, qui ex urbe Salerno Henrici juſſu Neapolim evocati, & in caſtris Cæſaris obſidum locò retenti fuerunt.

c *ſine ſpe reditùs*] In patriam ſcilicet.

d *mens Socratici pectoris*] i. e. Sapientis, fortisque animi, qui aliàs non facilè vel ſecundis rebus ſe effert, vel adverſis de gradu ſuo ſe depelli patitur. *Mens* idem hic eſt, ac ſententia, ùt Claud. l. 2. v. 115. in Rufin.

Mens eadem cunctis - - -

licèt itaque tanto animi robore eſſet præditus, neſcit tamen in quam ſe vertat ſententiam, atque animum celerem nunc hùc nunc dividit illùc.

e *Ulla times*,] Leg. *timet*.

f *labor eſt Itala caſtra ſequi*,] Arduum quid eſt, plenumque difficultatum opus, Cæſaris exercitum, quem per Italiam duxerat, ſequi, inprimis quòd nunc pro victo recedere videatur. Ovid. l. 2. Met. v. 128.

- - labor eſt, *inhibere volantes*.

Quare Poëtæ, ad indicandam alicujus rei ſummam difficultatem, utrumque ſæpè conjungunt. Virg. l. 6. Æn. v. 129. Ovid. l. 1. Art. Am v. 453.

Hoc opus hic labor eſt.

Caſtra ſequi alicujus, pro *militare* ſub alicujus auſpicio vel ductu, familiaris loquutio & Poëtis & Proſaicis. Claudianus in pervulgato illo

Nulla fides, pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.

Nep. in Cat. c. 1. caſtra ſequutus eſt *Claudii Neronis*.

Quem non matris amor, nec præſens gloria *g* rerum
Nec fratrum pietas *h*, nec grave vicit iter.
Imperium ſequitur, ſubit alta mente labores.
At Tancredini redeunt, rumoribus implent †
Urbem, de magno Principe falſa ferunt.
Hic obit, ille obiit, calet hic, frigeſcit & ille
Aſſerit *i*, incerto fluctuat ore fides. *k*

g *nec præſens gloria*] Tancredinorum ſcilicet, quibus, abeunte ex Italia Cæſare, fortuna in dies magis ac magis affulgebat, pleraque enim loca receperunt.

h *Nec fratrum pietas*,] Hàc voce denotatur affectus, quô in neceſſitudines ſuas vulgò homines ferri oportet: *pietas erga parentes*, eſt reverentia & obſequium, *erga fratres*, eſt amor, quem illis debemus; Inde Timoleon, quòd fratrem ſuum Tyrannum Corinthiorum interfici curaſſet, *impius* à matre vocatus fuit, læſamque ab eo *pietatem* dicebant inimici ejus, apud Nepot. in v. ejus c. 1.


i *Hic obit*, - - *Aſſerit*,) Tancredini paſſim per urbem vociferantur: Conclamatum eſt de Cæſare, is enim aut jam diem ſuum obiit, aut jamjam obiturus eſt. Alii contra, qui in fide atque obſequio erga eum permanſerant, clamant: *Vivit Cæſar.*

† Quòd hic duos continuos hexametros poſuerit, fortè incuriâ vel ipſius Authoris, vel Exſcriptoris factum eſt, qui pentametrum omiſit; hæc enim Carminis Elegiaci propria lex eſt, ut hexametrum pentameter ſequatur.

k *incerto* - - *fides.*) Quùm hic rumor de Cæſaris morte per urbem incertis authoribus percrebreſceret, alii verò contrarium aſſeverarent, plerique ſuſpenſi dubiique hærebant, utri famæ fidem haberent.



FIDE



FIDEI OBLITA RELIGIO.

UT rude murmur apum, fumoſſô murmurat Antrô,
Sic novus orbanda rumor in urbe ſonat.
Hic tres, hac ſeptem, bis ſex ibi, quatuor illic
Conveniunt, tenui murmure plura loqui.
Conſilio ſtimulata malo gens ſæva Salerni
Peccatum redimit crimine *l*, fraude dolum.
Obſequium præſtare putant, perjuria Regi,
Tancredum curant pacificare ſibi.
Aſt ubi circumdant immenſa Palacia Regum,
Quæ Terracina nomen habere ferunt.
Exclamant, quid agis Conſtantia? ſtamina penſas,
Fila trahis, quid agis? an data penſa legis? *m*
Cæſar

l *Peccatum redimit crimine*,) Culpam, quam cives Salernitani contraxerant, vel potius pœnam quam metuerant, quod Imperatoris conjugem in urbem ſuam ſuſcepiſſent, infandó nunc perjurii crimine redimunt, dum in eam impiâs manus intentant, quò iratum ſibi Tancredum placarent. Ovid. eòdem ſenſu l. 3. Am. & 3. v. 21.

Ut ſua per noſtram *redimat* perjuria pœnam.

m *Fila trahis*, - - *an data penſa legis?*) Propriè de ancillis, quibus Heræ penſa ſua quotidiana præſcribebant, hæc dicuntur Ovid. Triſt. l. 4. el. 1.

Contantis pariter, *pariter* data penſa trahentis,
Fallitur ancillæ decipiturque labor.

Idem

Cæſar abeſt, certè nos & te miſeranda fefellit,
Quem nimis ardebas *n*, dic ubi Cæſar abit?
Quem totiens fauſto jactabas ore potentem,
Dic ubi bella gerit, qui ſine crine jacet.
Felix Parthenope, quæ nec te ſola recepit,
Urbs pro te quod te viderit iſta ruet.
Te vir dimiſit, non vir ſed Apts egit *o*,
Hoſtia pro nobis prædaque dulcis eris.
In Dominam jaciunt *p* furibundæ ſpicula linguæ,
Saxaque cum multis aſſociata minis.
Quicquid funda poteſt, quicquid baliſta vel arcus,
Nititur in Dominam.

Ut

Idem ep. Her. 3. v. 75.

Nos humiles famulæque tuæ data penſa trahemus.

Quò acerbius dicterium eſt, jactum non ſolùm in liberam, ſed in ipſam Romani orbis Dominam.

n *nimis ardebas*,) i. e. Vehementer amabas, & quaſi nimiò amoris ardore flagrabas; Poëtæ plerumque quùm amoris vehementiam exprimere volunt, ita loquuntur, Ovid. l. 14. Met. v. 491.

- - *miſerere ardentis.*

Seneca in Med. a. 3. v. 581.

Cùm conjux viduata tedis *ardet* & odit.

Eſt autem elliptica loquutio, & ſubaud. *amore ardebas:* Inde *ardor* pro *amore* Tib. l. 3. eleg. ult.

Ardorem cupiens diſſimulare meum.

o *Apts egit*,) Sic in codice hoc ſcripturæ compendium eſt, cujus margini adſcripſit recentior manus *Apertius*, alia verò *Apoſtolus:* legendum fortè *Apolus* pro *Apoſtolus* per ſyncopen, ùt apud Virg. compoſtus, extinxem, porgite, & apud Propert. l. 1. el. 3. largibar, apud Catull. Carm. 83. v. 8. audibam. Et tunc intelligeretur Archiepiſcopus Salernitanus, quem etiam *Archilevitam* nominat, ejus enim inprimis monitu Conſtantia à Salernitanis in civitatem ſuam eſt vocata.

p *In Dominam jaciunt*) In ſceleratos hos perduelles optimè dici potuiſſet, quod apud Ovidium exſtat l. 5. Met. v. 666.

Supplicium meruiſſe parum eſt, maledictaque culpæ
Additis.

Ut cornix aquilâ ſtrepitat quàm plurimâ viſâ,
Quam fore noctivolam garrula credit avem. q
Unguibus & roſtris furit, & movet aëra pennis,
Inque modum fabri flamina verſat avis.
Hic ferit ille ſalit, ſaliens ſequiturque cadentem,
Verſat inverſâ malleus ære vices.
Sic furit in Dominam gens ancillanda potentem,
Vertitur in lolium triſte cremanda ſeges.

q *Ut cornix - - noctivolam garrula credit avem.*) *Noctivola avis* eſt Noctua, cum hâc cornix perpetua diſſentit vita, ejusque in eam tam eſt implacabile odium, ut Ovid. l. 2. Faſt. v. 89. ad deprædicandam inſignem artem *Arionis* Citharœdi, dicat, carmine ejus cantuque auditô:

Sine lite loquax cum Palladis alite
Sedit, & accipitri juncta columba fuit.

Inde *Cornix inviſa Minervæ* eidem Poëtæ l. 2. Amor. & 6. v. 35. quòd Noctua in tutela Palladis ſive Minervæ eſſet; garrulitas autem & loquacitas cornicis in proverbium ceſſit *Cornice loquacior*, quod Anacreonti Od. 9. eſt λαλίστερος κορώνης.





IMPERIALIS

Populo reſiſtenti

LOQUUTIO.

EX hinc Teutonicus verbis reſpondet & armis,
O ſpes in ignota dimicat orbe fides. r
Illa tamen Conſtans, ùt erat de nomine conſtans,
Et quia famoſi Cæſaris s uxor erat.
Hoſtes àlloquitur audacter ab ore feneſtræ,
Sic ait, audite quid mea verba velint.
Saltim dum loquimur compeſcite tela manusque
Pauca loquar, multo pondere verba tamen.
Gens magnæ fidei t, rationis ſumma probatæ,
Quæ ſim, quæ fuerim noſtis, & inde queror.

Cæſar

r *O ſpes - - orbe fides.*) Lego *Urbe*, & ſenſus eſt: Spem ſalutis inde concipe, quòd, etſi hi protervi in te ſæviant, multi tamen, ignoti licèt, in urbe ſuperſint, de quorum egregia fide certa eſſe potes, & qui nihil non pro tua incolumitate tentabunt.

s *famoſi Cæſaris*) *Famoſus* veteribus eſt *infamis*; Non ergò *Ebulo* Conſtantiam magna laude ornaſſet, ſi eam Ciceronis & aliorum probatorum ſcriptorum ætate vocaviſſet *famoſi Cæſaris uxorem*; ille enim l. 2. de Orat. 68. Non pol audeo, nam me ad *famoſas* vetuit mater accedere. Martial. l. 2. epigr. 47.

Subdola *famoſæ* moneo fuge retia mœchæ.

Videatur *Nonius Marcellus* in voce *fama*.

t *Gens magnæ fidei*,) *εἰρωνικῶς* hæc accipienda.

Cæſar abit, vel obit *u*, vobis ùt dicitur *x*, ergò
    Si placet exul eam Cæſaris orbe mei. *y*
Ad mentem revocate fidem, cohibete furorem,
    Nec vos ſeducant, littera, verba, ſonus.
Nec quociens reſonant in nube tonitrua cæli,
    Emiſſô tociens fulminat igne Deus. *z*
Si Præſul ſcripſit, tamen ùt reor, irrita ſcripſit,
    Hic patriæ fraudis curat & artis opus.
Hic trahit in ſpecies ſcelerum, genus omne malorum
    Quod patris ora vomunt, filius haurit idem.

Credite

u *Cæſar abit, vel obit,*) Vel Cæſar, Italià relictà, in Germaniam redit, vel ut vos malitiosè dicitis, jam mortuus eſt: quam quidem maledicentiam veſtram parùm curo, cùm mihi conſtet, falſa eſſe, mihique modò liceat violentis veſtris manibus elabi.

x *ùt vobis dicitur,*) Conſtructione Græca, ſolenni valde & ipſis Latinis, ſed inprimis Poëtis. Virg. l. 1. Æn. v. 444.

- - neque cernitur ulli.

pro ab ullo. Horat. l. 1. Od. 6. ſcriberis *Vario* fortis. Sed & Cicero l. 7. ep. 33. ad fam. *mihi* judicatum eſt: ubi vid. Cortius. Herodi. l. 1. c. 2. τὰ Νίγρου πεπραγμένα: pro παρὰ Νίγρου, vel ἃ Νίγρου ἔπραξεν.

y *Cæſaris orbe mei.*) Lego, *Orba*: utrumque rectè dicitur, & *Cæſaris*, & *Cæſare*, Ovid. l. 13. Met. v. 595. Memnonis orba mei; & Triſt. l. 3. el. 13. v. 15.

Hanc tibi commendo, quæ quò magis *Orba parente* eſt.

Verùm etiam *Orbe* ferri poſſet, ſed hôc ſenſu: Ego libens, quoniam vobis ita inviſa ſum, hinc in exilium aliquò cedam, licet *Orbis*, i. e. terra atque regio, quam incolo, ad jus atque imperium Cæſaris mei pertineat; vel lege *Urbe*: quamvis primum magis placeat.

z *Nec quotiens - - fulminat igne Deus.*) Ovidium hic imitatur, is autem l. 2. de Ponto el. 2. v. 115. ait:

Sed placidus faciliſque parens, veniæque paratus,
Et qui fulmineo ſæpè ſine igne tonat.

Credite pastori profugo, qui natus ab ydrâ *a*,
 Ut coluber nunquam degenerare potest.
Est igitur virtus quandoque resistere verbis,
 Et dare pro fidei pondere membra neci.
Si pugnare licet, superest mihi miles & aurum,
 In propriam redeat consulo quisque domum.
Est mihi Corradus Capuæ *b*, Dipoldus in Archi
 Hic pars militiæ, Dux erit ille Ducum.
Darius Eboleos, ùt ait mihi nuncius agros
 Hâc cremat, hâc radit ille Thetinus oves.
Gens puræ fidei mediis exquirit in armis
 Velle meum *c*, pro me sponte parata mori.
Hæc sine velle meo *d* multô licèt hoste coacta
 Ad Tancridinum vult repedare *e* scelus.

Hujus

a *natus ab ydrâ, Ut coluber &c.*) Christus Pharisæos eodem nomine compellat γεννήματα ἐχιδνῶν. Matth. c. 3. v. 7. Loquutio est proverbialis, ùt illa apud Plautum in Trucul. Act. 4. Sc. 4. v. 6. Quanquam vos *colubrino ingenio* ambæ estis; quod non solùm de vafro vel astutó dici potest, ùt Taubmannus vellet, sed & de Maledicis, qui venenatæ suæ linguæ probra in alios ejaculantur. Ita & proverbium in vulgus extat κακοῦ κόρακος, κακὸν ᾠὸν, mali corvi malum ovum.

b *Corradus Capuæ*,) Is est quem *Richardus de S. Germano* semper *Muscancervellum* nominat, *Anonymus* autem *Monast. Cassinens.* eum vocat *Conradum Muscam in cervello*, „ Comes Richardus cum exercitu & Neapolitanis egrediens, „ Capuam capit civium proditione, *Conradus Musca in cervello* in castro *Capuano* „ aliquandiu resistit &c. vid. infr.


c *Velle meum*,) i. e. Voluntatem meam.

d *Hæc sine velle meo*) Lego, *Nec sine velle meo*, & in hunc sensum versus accipiendus est; Gens illa *Ebolea*, quamvis undique ab hoste sit circumventa, qui omnia igne ferròque divastet, nulla tamen clade aut injurià, me invitá, ad desciscendum compelli potest, ut aliorum vestrùmque instar in *Tancredi* partes transeat; non obscurò indiciò hic se iterum prodit *Ebulo*, patriam ei *Ebolum* suisse, quod tantis laudibus, & inprimis ob fidem servatam, cives suos decoret.

e *repedare*) Est recedere, reverti, *Festo* & *Nonio Marcello* citata vox ex fragmentis *Lucilii*.

Hujus ad exemplum cives concurrite gentis,
Quæ ſit in Ebolea diſcite gente fides.
Ebole, ni peream, memori tibi lance rependam,
Pectoris affectus quæ meruere boni.
Durius ad hæc populus truculentior aſpide factus
Acrius inſurgit.





AUGUSTALIS ORATIO

AD

DOMINUM

PRO VINDICTA.

ILla genu flexo pansis ad sidera palmis,
  Plenaque singultu fletibus uda suis.
Sic orans loquitur, clausis hinc inde fenestris
  Fecerat ambiguam clausa fenestra diem. [f]
Alsa Deus, Deus O [g], mundi Moderator & Auctor,
  Ex his vindictam supplico sume dolis.

Alsa

f *ambiguam - - diem.*] Ambigua sive dubia dies est,
  Quod tu nec tenebras nec possis dicere lucem,
  Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.
Ovid. l. 4. Met. v. 400.

g *Alsa Deus, Deus O,*] Ita sensum locorum illorum, quæ in Apocalypsi D. Johannis aliquoties occurrunt ἐγὼ εἰμὶ τὸ Α ϗ τὸ Ω. *Prudentius* Poëtarum Christianorum dulcissimus Hymno 9. Cathemer. eleganter interpretatus est in his duobus versibus:

  Alpha & Ω cognominatus, ipse fons & clausula
  Omnium, quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.

Alfa Deus, Deus O, ſtellati Rector Olympi *h*,
Pœna malignantes *i* puniat alta viros.
Alfa Deus, Deus O, juris Servator & æqui,
Jam tua conflictus vindicet ira meos.
Alfa Deus, Deus O, terræ Fundator amictæ *k*,
In me pugnantes ferrea flamma voret.
Alfa Deus, Deus O, rerum Deus Omni-Creator
Supplices ancillæ reſpice quæſo preces. *l*

Iram

h *ſtellati Rector Olympi*,] Ita & ipſi Gentiles, quoties in magnô aliquô periculô verſabantur, undè nulla emergendi ſpes erat, niſi præſenti Numinis, & quaſi Θεῦ ἀπὸ μηχανῆς, auxiliô eriperentur, precabantur: *Seneca* in Herc. fur. Act. 2. v. 205. ſeq.

O *Magne Olympi Rector*, & mundi Arbiter!
Jam ſtatue tandem gravibus ærumnis modum
Finemque cladi.

i *malignantes*] Vox ex corrupta latinitate, pro *mala inferentes*.

k *terræ - - amictæ*,] Pulcherrimus eſt loquendi modus, quô Poëtæ terram variis, quas ipſa ex ſinu ſuo profert, rebus, variegatâ quaſi veſte contectam & ornatam Lectori proponunt: Verùm, quod *Ebulo* abſolutè hic poſuit, priſci ſemper rem, quâ terram vel illius aliquam partem *amictam* indigitare voluerunt, addidère. Horat. l. 1. epiſt. 16. v. 3.

- - *amictâ* vitibus *ulmô*.

Florus l. 1. c. 16. Poëtarum elegantiam malè ſæpe ſectatus, Hic *amicti vitibus montes*. & Virg. Georg. l. 2. v. 38.

- - *oleâ* magnum *veſtire Taburnum*.

Curt. l. 5. c. 4. de Medo amne: quicquid adluit *floribus veſtiens*.

l *reſpice - - preces*.] i. e. Exaudi illas, atque

Eripe me his invicte malis - -

Nihil autem frequentius apud veteres, cùm indicare vellent, ſe Dei propitii ope ingruentibus malis liberatos, quàm hæc vox occurrit: Inſtar omnium in re trita ſit *Lactantius* Romani in ſermone nitoris optimus ſectator. l. 8. c. 20. Si quidem (Dii) nec colentes *reſpiciu nt*, neque non colentibus iraſcuntur. Virg. l. 5. Æn. v. 688.

- - ſi quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos - -

Iram congemines, acuas pœnamque, furorem,
Accendas *m*, tumidos comprime, perde feros.
Contere fauſtoſos *n*, inſtantes perde ſuperbos,
Da pacem, gladios divide, ſcinde manus.
Arma cadant, arcusque teras, baliſta cremetur,
Rumpe Polum *o*, ſpecta, collige, ſcribe, nota.
Hos notet exilium, ſcribat proſcriptio, plures
Opprobrium ſignet.
Rumpe Polum, transmitte virum Romphæa gerentem *p*,
Eruat

m *furorem, Accendas*,] Cave ita intelligas, *ô Deus accendas in me furorem Salernitanorum!* quid enim abſurdius cogitari poſſet, ſed ita: animum iratum atque infenſum induas in mortalium peſſimos, qui te ad pœnam illis condignam repræſentandam impellat: Ita apud Virg. Georg. l. 4. Eurydice cùm retraheretur ad inferos, exclamabat:

Quis & me miſeram & te perdidit Orpheu?
Quis tantus furor?

Quæ ira ſcilicet Deorum? Græcorum imitatione, qui voce Θυμὸς ſæpius utuntur, ad ſignificandam ingentem animi commotionem, cum vindictæ cupidine conjunctam.

n *fauſtoſos*,) Superbos, faſtuoſos: nihili vox eſt *fauſtoſus*.

o *Rumpe Polum*,) Hæc eſt uſitata illa formula, quâ Deum, cælô, nubibus vel aëre, quaſi velô undique cinctum, minusque inde in hæc inferiora deſpectantem, ad celerem opem ferendam invocabant. Medea apud Senec. Actu 3. v. 531. ſeq.

Nunc Summe toto Jupiter cœlô tona.
Intende dextram, vindices flammas para,
Omnemque *ruptis Nubibus* mundum quate.

Undè & illud *Hippolyti* apud eundem Senecam v. 671.

- - Magne Regnator Deûm!
Tam lentus audis ſcelera! tam lentus vides!
Ecquandò ſæva fulmen emittes manu?


p *virum Romphæa gerentem*,) Intelligit ipſum Dei Filium, qui Divo Johanni in Apoc. c. 1. v. 16. & c. 2. v. 12. cum ῥομφαίᾳ ancipiti viſus eſt.

Eruat ancillam, diſſipet ora canum. *q*
Alfa Deus, Deus O, Genitor, Genitura Creatrix
Quod precor acceptes, Alfa Deus, Deus O.

q *ora canum.*] Proverbium de hominibus perfrictæ atque ferreæ frontis dicitur, *cane impudentior*, Græcis, Suidâ teſte, Κυνὸς κυνίτερος; inde etiam Agamemnon ab Achille ob impudentiam vocatur Κυνῶπις Il. 1. v. 159. & Catullus putidæ, impudicæque Mœchæ *ferreum canis os* attribuit. Carm. 62. v. 17.



 ORA-



ORATIO SALUTARIS.

EX Oriente Deus Augufti dirige greffus
Ut meus hinc Cæfar te Duce fofpes eat:
Ex Oriente Deus conferva Cæfaris actus,
Ille tuus Raphaël præparet ejus iter.
Ex Oriente Deus Romanum protege folem r,
Ut repetat patriam fofpite mente fuam.
Ex Oriente Deus cuftodi nuper euntem,
Quò tibi pro magnò munere vota feram.
Ex Oriente Deus dulcem comitare maritum,
Emolli duros s, faxea colla doma:
Ex Oriente Deus tumidos t tere, perde fuperbos,
Conjugis angelicum fac redeuntis iter.

Ex

r *Romanum - - folem*,] Non mirum Cæfarem *Romanum folem* appellari, qui fupra *Jupiter Tonansque* vocatus eft: Sic apud Horatium adulator quidam peffimus l. 1. Sat. 7. v. 23. feq.

- - laudat Brutum, laudatque cohortem:
Solem Afiæ Brutum appellat, ftellasque falubreis
Appellat Comites. - -

s *Emolli duros*,] Vel *pervicaces*, qui nullâ ratione ad frugem atque officium redire volunt; Vel *immites*, fævos, ùt Ovidio *Dura Parca* l. 4. Epift. ex Ponto 15. quæ nullius ætatis, fexûs, aut conditionis mifericordiâ capitur.

t *tumidos*] Duplex huic voci notio ineft, & utraque hic locum habet: Prior,

Ex Oriente Deus, qui regnas in tribus unus,
Redde virum famulæ, quæ perit absque viro;
Cui mare, cui tellus, cui celum vivit & æther
Vir meus inter tot dona ſuperſtes eat.
Si pereo, per eum pereo, quia Cæſare vivô,
Triſte nichil patiar, dummodo capta ferar. *u*

Proditor interea Giſualdi venit Elias *x*,
Exhonerans famulas ferâ podagrâ manus *y*:

Sanguine

Prior, quâ iratum denotat, cujus animus tantoperè eſt commotus, ut ſe amplius continere nequeat, ſed erupturus videatur; unde ipſa *ira tumida* dicta Ovid. ep. 11. Her. v. 15

- - *tumidæ* non imperat *iræ*.

eleganti metaphorâ ab aquis deſumptâ, quæ *tumidæ* dicuntur, cùm jamjam eruptionem in terram minantur; poſterior, quâ elatos, inflatosque populi animos deſignat, qui jugum ægrè ſibi imponi patiuntur, & primò quóque tempore illud rurſus excutere tentant: Florus l. 4. c. 12. nec dum aſſuetæ frenis ſervitutis *tumidæ* Gentium *inflatæque cervices*, ab impoſitô nuper jugô reſiliebant. Vid. Erud. *Arnz.* ad Plin. Paneg. c. 80. Per *tumidos* etiam Conviciatores intelligi poſſent, quomodò Ovidius de Agricolis, qui ob convicia, quæ Latonæ faciebant, in ranas mutati fuerunt, l. 7. Met. v. 377. narrat

- - - ſub aquâ maledicere tentant:
- - *Inflataque colla tumeſcunt.*

u *Si pereo* - - *capta ferar.*] Non aliter peream, niſi pereunte Cæſare, is ſi ſalvus erit, omnia mihi ſalva erunt, ſi modò capta hinc aliò auferar: Sed convenientior longè ſenſus foret, ſi verba *dummodò capta ferar*, ita caperentur: licèt capta hinc abripiar, incolumis tamen ſemper ero, vivente modò Cæſare. Sed exemplum, quô vocalæ *dummodò* hæc vis inhæreat, deſidero.

x *Proditor* - - *Elias*,) Is eſt, qui primus *Conſtantiæ* manus injulit, quod oppoſita pictura eum his verbis ſupra ſcriptis docet: *Quandò Proditor Helias Giſvaldi, aſſecuratis Teutonicis, Dominam mundi cepit.*

y *famulas* - - *manus*,) Quia *Tancredini* ejus operâ tanquam famuli vel miniſtri uſi fuerunt ad Conſtantiam comprehendendam: licèt enim eò audaciæ proceſſerint, ut eam variis conviciis laceſſere non vererentur, nemo tamen ad hanc diem extitit, qui vim adhibere auſus fuiſſet.

Sanguine non hominum didicit lenire dolorem,
    Nec ſapit antidotum ſæve Mathée tuum *z*:
Qui videt ùt Dominam, quaſi Gallicus ore rotundô *a*
    Fatur, & in Dominam glis ſatur exta vomit *b*:
Heia, ſi qua potes, noſtris virtutibus inſta,
    Eja, ſi qua potes, bella movere, move:
Qui cupit omne quod eſt, & parti cedere neſcit,
    Amittet totum.
Sic tibi, dum velles totum quod volvitur ævo,
    Contigit, & regno pro breviore cadis *c*:
Eſt opus ut venias merito captiva Panormum,
    Sic populus, ſic Rex, hic petit, ille jubet.

z *antidotum - - tuum:*) *Matthæus Cancellarius*, de quo ſupra mentio facta eſt, quotiescunque podagræ doloribus vexaretur, interemptô puerô, ſanguine ejus lavabat pedes.

a *ore rotundô*) Germ. Sagt rund heraus; ſive ùt Nepos latinius multò in vit. Them. c. 7. *liberrimè profeſſa eſt:* Nam longè aliter accipiendum eſt id quod *Horatius* de Græcis prædicat, in Art. Poët. v. 323.


Grajis ingenium, Grajis dedit *ore rotundô*
Muſa *loqui* - -

i. e. Eleganter, ſuaviter, perfectè.

b *glis ſatur exta vomit:*) Παροιμιώδης ſermo, de iis, qui impuro atque inquinato ſuo ore, ſe longè meliores, atrocium verborum contumeliis, tanquam vomitu conſpurcant.

c *pro breviore cadis:*) Cùm tibi antea vix totus ſufficeret orbis, eò nunc anguſtiarum inſana tua confidentia & impotentiſſima ambitio, quà omnium Principum partes corripere atque complecti ſtudebas, redacta eſt, ut & ipſis ampliſſimis tuis rebus, quibus aliàs tibi licuiſſet ſine alicujus injuriâ perfrui, nunc miſera excidas: nam dum regnum appetis, ad te nullo jure pertinens, amittis Imperium hôc haud parùm florentius, quod tamen, ſi quieta manſiſſes, ſummo cum jure retinuiſſes.

DOMI-



DOMINÆ
COACTA. DESCENSIO.

AT Dominæ vultus pallescere nescius unquam
Immodicum pallens lumina crispat humô:
Nec mora pallor abit, proprii rediêre colores *d*,
Simplicius ludunt lilia simpla rosis *e*:
Ut tenuis quandoque diem denigrat amictus,
Et subitò lapsa nube diescit humus.
Pauca quidem loquitur: Veniam Tancrede Panormum,
Et veniam, veniam non aditura *f* tuam:

Proti-

d *proprii redière colores*,] Prior nativus color, formaque illa liberalis se iterum, pallore pulsô, in faciem Augustæ insinuat: sicut ergo, *colores rediere*, rectè dicitur, ita Ovid. ep. 3. Her. v. 141.

- - *abiit* corpusque *colorque*.

e *Simplicius ludunt* - - *rosis:*] Tantus fuerat oris decor pallidæ Constantiæ, ut, licèt stupore rei nefandæ attonitæ, non solùm cum purpureo *rosarum* colore, sed & cum ipsô niveô candore *liliarum*, quæ tamen illas gratià longè antecellunt, de pulchritudine certare potuisset. Candidam faciem in puellis amorum Doctores mirè laudabant, eamque cum liliis comparabant. Propert. l. 2. el. 3.

Lilia non Dominâ sint magis *alba* meâ.

f *veniam non aditura*] Veniam quidem Panormum *Tancrede*, sed non uti tu, tuique omnes arbitrantur, ut veniam supplex à te petam.

Protinus objecit pactum, gens annuat, inquit,
Ut meus hinc salvo pectore miles eat:
Instanti populo placuit sententia talis,
Nec mens in tantis omnibus una fuit.
Nam Tancridini celebres nova Sabbatha libant *g*,
Non minus inde dolent Archilevita tui *h*:
Exultant illi munus meruisse triumphi,
Qui titulum tantæ proditionis habent.
Guilelmus de Pistilio vir doctus in armis,
Maluit exilium, quam temerare fidem.
Jamque parata ratis centeno remige tuta,
Accelerat Zephyrus dum mare lentus agit.
O nova consilii species, prudentia major
Induit auratos *i* ùt nova nupta sinus.

Induit

g *nova Sabbatha libant*,] Cùm Constantiam in potestatem suam redactam vident, memoriam tam egregii facinoris intercidere noluerunt, sed quasi hoste infensissimò captò, diem illum, quò id peractum est, *Sabbathorum* instar consecrant, eumque omni lætitiâ & voluptate, uti Judæi olim Sabbatha sua transigunt.

h *Archilevita tui*:] Ut *Tancredini* non solùm de felici sceleris sui successu gloriantur, sed & exultantis animi gaudium variò ludicrorum ac festivitatum genere significant, sic *Archiepiscopus Salernitanus*, & qui cum eò sentiunt, ob nefariæ rei indignitatem mœrore incredibili cruciantur.

i *Induit auratos*] Ita sæpè fortiora illa pectora fecisse legimus, ut, in haud-dubiò capitis periculò versantes, pretiosis se ornarent vestibus, cùm, ut honestius caderent, tùm etiam ne ceu vilia capita in ignobilem locum mortui projicerentur, sed hostes aliquod sepulturæ præmium haberent: Verùm etiam, ut splendida vestium specie percussoribus suis aliquem terrorem atque admirationem sui injicerent; Sic Romani Senatores, captâ à Gallis urbe, *amplissimi cultu in curulibus sellis sese posuerunt, ut quùm venisset hostis, in sua dignitate morerentur.* Flor. l. 1. c. 13. Persæ in aciem contra Alexandrum, tanquam ad certam necem prodituri, *pretiosissimis vestibus induti, armisque, quantò maximò cultu poterant, adornati, Regem sequebantur.* Curt. l. 5. c. 9. itâ patrum nostrorum memoriâ *Serinius* Heros, fortissimè

Induit artiferos pretiosæ vestis amictus,
Ornat & inpiguat *k* pondere *l* & arte comas.
Aurorant in veste rosæ, nec aromata desunt,
Forma teres Phœbi *m* pendet ab aure dies.
Pectoris in medio coëunt se cornua lunæ,
Ars lapidum varia sidere ditat opus *n*;
Conjugis amplexus tanquam visura novellos,
Fausta venit, navem scandit, & illa volat.

Et

simè ad Sigethum dimicans, Thuanò l. 39. narrante, splendidiore solitò amictu indutus occubuit. Reginæ quoque, eandem virorum strenuorum consuetudinem imitatas fuisse, *Olympias* Alexandri Magni mater apud Justin. l. 14. c. 6. *Cleopatra* apud Flor. l. 4. c. 11. memorantur. Eâdem id mente fecit *Constantia*, quæ vel certam mortem, vel perpetuos carceris squalores, si in Tancredi conspectum pervenisset, uti pervenire necesse fuit, sibi perferendos esse suspicabatur.

k *inpiguat*] Quod verbi monstrum? fortè *inpinguat*, sed & illud ex rudi barbarie petitum; positum tamen, si lectio sana, existimo, pro *inungit*, & quasi pingues reddit comas unguentis fragrantissimis.

l *pondere*] Gemmis pretiosissimis, quæ comæ insertæ, magnitudine suâ Constantiæ caput, velut impositò pondere, onerabant.

m *Forma teres Phœbi - - dies.*] Unio fulgentissima, quæ luce suâ ipsam diem æquaret, pendet ab aure. Ovidio l. 3. Art. Am. v. 129. id est:

- - caris aures onerare lapillis
Quos legit in viridi decolor Indus aquâ.

teretem formam Margaritarum, quibus Romanæ matronæ se jactabant, Horatius quoque laudat Od. 8. Epod.

Nec sit Marita, quæ *Rotundioribus*
Onusta Baccis ambulet.

Plin. l. 9. c. 35. Hist. Nat. Varias illorum dotes, à quibus vulgò commendantur, enumerat: *Margaritarum dos omnis* in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere *consistat.*

n *Pectoris in medio - - ditat opus,*] Pretiosi lapides, ita mirò artificiò erant elaborati, ut vice fibulæ, formâ suâ duo cornua lunæ referentis, cùm inter se coirent, vestem in medio pectore connecterent.

Et modò vela tument *o*, modò brachia jacta refudant,
Attenuant cœptam remus & aura viam *p*:
Sufpectas Palinure tuas ratis effugit undas *q*,
Nam nova trans vires præda fatigat aquas. *r*
Jam præfentit aquas dubia vertigine motas,
Quas vomit, & fubito gutture Scilla rapit.
Jam ratis infidæ metuens vada cæca *s* Caribdis,
Exercet vires, remige, voce, manu.
Meffanam veniunt, ubi Rex & Curia tota
Sperabant facilem re perhibente *t* fugam.
A rate defcendens Ylari Conftantia vultu
Obvia Tancredo trifte repenfat ave.

Tandem

o *vela tument*,] Ovid. l. 2. Art. Am. v. 432.
Sæpè *tument* Zephyrò *lintea*, fæpè Notò.

p *Attenuant* -- *viam.*) Sublevant, vel accelerant navigationis curfum.

q *Sufpectas Palinure* - - *undas*,) Duos famofos fcopulos intelligit, ad quos allifæ naves conquaffantur, vel in voragines delapfæ hauriuntur. Vetuftas illos duo marina monftra Scyllam & Charybdim fabulata eft. PALINURUS erat gubernator navis, qui cùm Æneas ex Sicilia in Italiam trajiceret, & noctu ad gubernaculum federet, gravatus fomnò in mare dejectus eft. Virg. l. 5. Æn. fub fin.

r *Nam nova* - - *fatigat aquas.*) Sententia eft: Remiges, cùm ad periculofa illa loca devecti effent, majore nifu remis incumbentes, propellebant navim, ut quantocyus prædam, *Conftantiam* puta, ad *Tancredum* perferrent, quòd haud ignorabant, hoc fibi magno præmio futurum. NAM eft particula, quæ declarat caufam, cur aliquid fiat vel factum fit: uti apud Salluft. B. Cat. c. 46. *At illum ingens cura atque lætitia fimul occupavere.* Nam *lætabatur*, *conjuratione patefactâ*, *civitatem periculis ereptam effe.*

s *vada cæca*) i. e. Latentia. Virg. l. 1. Æn. v. 539.
- - nimbofus Orion
In vada cæca tulit - -

t *re perhibente*) i. e. Fortunâ ita ferente.

Tandem suspirans Augustæ frigudus *u* inquit,
Non tibi totius sufficit orbis honor.
Quid mea regna petis, Deus est, qui judicat æquum,
In se sperantis vindicat acta viri. *x*
Te tua fata michi turbantem regna dederunt,
Hinc tuus ægroto corpore Cæsar abit.
Julia *y* respondit, quod ais Tancrede recordor,
Ut mihi retrogradum, jam tibi sidus erit *z*:

Quid-

u *frigidus*] *Tancredus* homo iners & ignavus, vel *noxius*, uti *Servius* illud Virgilii accipit Buc. ecl. 8. v. 71.

Frigidus in pratis cantandô rumpitur anguis.

Vel etiam metu atque stupore rei novæ, quasi fulmine ictus; ita Seneca in Hippol. act. 4. v. 1053.

- - omnis *frigido* exanguis *metu*
Venator horret - - -

Ovid. l. 7. Met. v. 136.

Palluit, & subitò sine sanguine *frigida* sedit.

Tancredum enim, licèt *Constantiam* prædæ instar in sua teneret potestate, de tantæ tamen rei exitu magnoperè animô fuisse sollicitum, certò constat: neque erat tam vecors, quin mente præviderit, quanta ipsi tempestas immineat, si nuncius de conjugis raptu ad Cæsaris aures pervenisset: Verùm insuper tantus Majestatis fulgor in *Constantia* elucebat, ut non solùm oculos sed & ipsam ejus mentem præstrinxerit.

x *In se sperantis - - viri.*] Est profectò Deus, qui quæ Nos agimus auditque & videt, is tantam tuam maritique tui confidentiam, quâ in mea bona grassamini, non impunitam feret.

y *Julia*] CONSTANTIA; rectè, quam sæpè antea *Augustam* nunc *Juliam* vocat; Nam *Augustus* à Julio Cæsare per testamentum adoptatus in gentem *Juliam* transiit, unde & ipse Liviam uxorem suam in eandem Juliorum gentem transtulit, ex quô posteà *Julia* nuncupata est.

z *jam tibi sidus erit:*] *Jam* particulam adhibent, quandò instantis alicujus rei certitudinem designare volunt; ita Sallustius B. Cat. c. 52. *Si paulum modò*

Quidquid fata volunt, ſtat inevitabile *a* ſemper,
Per varias vario curritur axe vices.
Non tua regna peto, ſed patris jura requiro,
An tu Rogerii filius? Abſit, ego
Hæres Regis, ego matris juſtiſſima proles *b*,
Lex patris & matris, dat mihi quicquid habes.
Regna tenes tantùm uſurpata *c* ſed illa.

Vivit

vos languere viderint: jam *omnes feroces aderunt.* SIDERA Deos exiſtimabant veteres, ſed inprimis ſolem & lunam; inde Seneca in Herc. Fur. act. 2. v. 586.

Cùm clarè *Deos* obtulerit dies.

Licèt itaque, inquit Conſtantia, Deus me minus nunc benignè reſpiciat, tempus tamen veniet, quò munere Dei in poſſeſſiones meas redeam; non ſi malè nunc & olim ſic erit, dabit Deus his quoque finem:

Et mihi forſan, tibi quod negarit
Porriget hora.

a *ſtat inevitabile*] Curt. l. 10. c. 1. *Fatum* cujus *inevitabilis* ſors eſt, adpetebat: STAT, i. e. firmum fixumque ſemper manet. Virg. l. 10. Æn. v. 467.

Stat ſua cuique dies breve & irreparabile tempus. Sen. in Herc. Fur. act. 2. v. 351.

Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.

i. e. Statutum eſt. Ex hac opinione, quâ fatorum ſtamina nullâ vi nec conſiliò retexi poſſe putabant, profluxit illud Virg. l. 5. Æn. v. 709.

- - quò fata trahunt, retrahuntque ſequamur.

b *matris juſtiſſima proles*] Mihi jus legesque natalium, quippe matre Reginâ natæ, dederunt Siciliæ ſceptra manu tenere, cùm tu contra pudendâ ignotâque matre, non matrimonii honore, non Reginæ nomine decoratâ, inhoneſtus ſis.

c *Regna - - uſurpata*,] Regna tibi nullò jure debita, & quibus Prædonis inſtar abuteris; ita enim huic verbo poſteriores Latini hanc ſignificationem affinxerunt, ut, pro *malè injuſteque uti*, adhiberent: quæ notio in Gallicam irrepſit linguam; Veteribus enim *Uſurpare* eſt, in frequenti uſu habere, idque vel verbis vel factis. Mirari verò hic licet, quam brevi poſt Auguſtum tempore, ille Romani ſermonis flos elanguerit, & quamvis priſtina verba retinuerint, aliò tamen, imò priori ſæpè contrariò ſenſu illa affecerint. Verùm

- - Mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax.

Horat. Art. Poet. v. 68.

Vivit inexperta qui petat ense suo. *d*
Quæ leges, quæ jura tibi mea regna dederunt?
Nam Lichium vobis gratia sola dedit. *e*
Post hæc in talamos patrios se læta recepit
Italicos mores imperiosa *f* gerens.

Ut videt Augustam Tancredus, gaudia vultu
Pro populo simulans, pectore tristis erat. *g*
Ingreditur thalamum foribus post terga reductis,
Præcipitans humili frigida membra thoro.

At

d *inexperta* - - *ense suo.*] Fuit, cùm cogitarem legendum esse *inexpertò*, ut referatur ad ensem, quem Tancredus nondum expertus esset: nec dum me illius lectionis pœnitet. Aut *Regna inexperta* sunt, quæ Cæsar *Henricus* nondum bellò expertus, neque cum copiis militaribus ingressus fuerat, uti *Siciliam*, quæ ad eam diem arma quidem ejus non senserat, at mox non sine magnô suô malô sensura esset; ita enim *experiri*, præsertim cùm de virtute bellica sermo est, occurrit, ut sit, periculum facere, quid hostis in armis atque bellô valeat; uti illa Nepotis in Hum. c. ult. *ut interire quàm Romanos non* experiri *mallet*, Lambinus explicat.

e *Lichium* - - *gratia sola dedit.*] Obtinebat *Tancredus* Comitatum *Licii* ab avo suo materno *Roberto* Licii Comite, ex cujus filia *Rogerius* Rogerii I. Siciliæ Regis filius *Tancredum* susceperat, cumque Comitatum sub Guilelmô II. Siciliæ Rege recuperaverat; Nam à Guilielmo I. inde pulsus fuerat.

f *imperiosa*] Cujus imperio parendum est; quo sensu Horatius L. 2. Sat. 5. v. ult.

- - sed nos
Imperiosa Proserpina trahit - -

g *gaudia vultu* - - *tristis erat.*] Expressit illud Virg. l. 1. Æn. v. 212. seq. de Ænea,

- - curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat premit altum corde dolorem.

At genus incertum *h*, ſexûs injuria noſtri *i*,
Talia Tancredum verba dediſſe ferunt.
Eu mihi, quis poterit contendere Cæſaris armis,
Hactenus Auguſti mitior ira fuit.
Nec me turritæ celſis in montibus urbes
Nec me defendent oppida juncta polo.
Non opus eſt bello, quia me fortuna reliquit,
Jam vires miſerum deſtituere ſenem.
Mille meos equites ex Auguſtalibus unus
Vincit, & unius lancea mille fugat.
Unus Rombaldus regnum mihi cum tribus auffert,
In Diopuldeo nomine terra tremit. *k*

Expe-

h *genus incertum*,] Ex facie totaque hominis figura nemo cognovit, quô ſexu *Tancredus* cenſeatur, cùm, vultum non hominis, ſed Simiæ gerens, Minotauri inſtar ſit

Miſtum *genus* prolesque biformis.

Frequenter, ad odium & contemptum erga aliquem teſtandum, ita loquuntur ſcriptores Virg. l. 1. Æn. v. 32. Trojanos vocat,

Genus inviſum.

Junoni ſcilicet. & ib. v. 543.

Quod genus hoc hominum? quæve tam barbara morem
Permittit patria?

Salluſtius, de Aboriginibus B. Cat. c. 6. *Genus* hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio; ita & ipſe Chriſtus de malis geniis, Math. c. 17. v. 21. *τῦτο* ΤΟ` ΓΕ´ΝΟΣ *ὐκ ἐκπορεύεται* &c.

i *ſexûs injuria noſtri*,] Opprobrium in ſummè perditum hominem! Claud. in Bell. Gild. v. 278.

- - longi proh *dedecus ævi*.

Uti Phædr. l. 1. Fab. 21. Aſinum vocat *Naturæ dedecus*. Catull. Carm. 14. v. 23. Malos Poëtas, *Secli Incommoda* appellat.

k *In Diopoldi nomine terra tremit.*] Alexander Magnus apud *Curtium* l. 8. c. 8. ait *famâ bella conſtant*, quare idem ſcriptor l. 5. c. 13. *Sed* nomen Alexandri & Fama, maximum in bellô utique momentum, *pavidos in fugam convertit*.

Experiar superos *l*, si forte videbor in armis *m*
Nostram Dipuldus non lacerabit humum.
Absit, ut experiar Dipuldi nomen & arma,
Nec videant oculos lumina nostra suos.
Est mihi cognatus procera Gigantis imago,
Sat probus & fortis, sed nimis arma timet. *n*
Sunt mihi non pauci, quos res mihi fecit amicos *o*,
Si res defuerit, denique nullus erit.

Felix

l *Experiar superos*,] Implorabo supplex divorum opem, ita Tacit. l. 12. Ann. c. 18. Consultat cujus misericordiam *experiretur*: Tancredus, ùt homo religiosus, impium illud Virgilii, licèt fortè animò, ore tamen, usurpare nolebat,

Flectere si nequeo superos Acheronta movebo.

m *si forte videbor in armis*] An fortè, Deorum immortalium nutu, fieri posset, ut, armis indutus, rem benè geram, atque præclaris facinoribus in conspectu omnium editis, *Diopoldum* Cæsaris Ducem à finibus meis longè arceam: *Videbor* idem est, quod *Conspiciar*. Proprium verbum de illis, qui nolunt fortitudinis suæ testimonium in occulto perire, sed, universo quasi exercitu teste, laudem atque præmia rerum pulchrè gestarum reportant. Sallust. B. Cat. c. 7. *Gloriæ maximum certamen erat, quisque hostem ferire, murum adscendere*, Conspici, *dum tale facinus faceret, properabat*. Liv. l. 7. c. 36. *Ad* conspiciendam *tantam virtutem, luce ac die opus est*. Cæsar l. 3. B. Cat. c. 21. *Nostri, quid sine Imperatore - adolescentulo Duce, efficere possent*, perspici *cuperent*. Si pro An Cæs. l. 6. de B. Gall. c. 37. *circumfunduntur ex reliquis hostes partibus*, si quem *aditum reperire possent*.

n *fortis - - timet.*] Hoc loquendi genus Græcis Ὀξύμωρον dictum, uti inter plurima alia illud Horatii l. 1. ep. 11.

Strenua nos exercet *inertia*.

Cat. Carm. 6. v. 7. *Tacitum* cubile clamat. & huic Poëtæ nostri dicto acerrimum sal inest, quò fatuitatem *Tancredi* perfricare voluit, qui cùm ipse esset ignavissimus, Ducesque haberet, se non multò fortiores, eò tamen stultitiæ processisset, ut apertò Marte cum fortissimò Heroë congredi in animum induceret.

o *res mihi fecit amicos*] Res, i. e. Opes, facultates. Cicero pro Roscio Amer. *qui* in sua re *fuisset egentissimus*; ita & Græcis τὰ ὄντα dicuntur. Heliod. l. 2. c. 4. Τὶς Ἐρινὺς - - ΤΩ͂Ν ὌΝΤΩΝ ἈΛΛΟΤΡΙΩ͂ΣΑΣΑ. i. e. quæ Erynnis - -

opes

Felix argentum, ſed eô felicius aurum,
Nam jus à ſuperis à Jove Numen emit.
Heu ſi fortè cadet ſalientis vena metalli,
Quis mihi, quis puero, cauſa ſalutis erit?
Sex ſumus imbelles, Ego, Natæ, Filius *p*, Uxor
Infelix pelago turba relicta ſumus.

opes à nobis alienavit; idem infra c. 9. δημεύσει ΤΩ͂Ν ὌΝΤΩΝ ἐζημίωσε. i. e. Proſcriptione bonorum multavit; item οὐσίαι Herodian. l. 1. c. 8. ἐξετάζων τὰς οὐσίας. Sola quippe fortunæ bona miſerum vulgus *eſſe* aliquid putat, nam ſecundum Horatium l. 1. Epiſt. 6.


Res ſola potis facere & ſervare beatum;

quia *tanti quantum habeas ſis.* id. Sat. 1. l. 1. Divitiæ ἐμφατικῶς Res appellantur, quia omnes reliquæ *res* earum imperio parent, quæ *Horatius* pulchrè his complexus eſt verſibus l. 2. Sat. 3.

- - - omnis enim res
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & Rex
Et quicquid volet. - - -

p *Sex ſumus*, - - *Natæ*, *Filius*] Tancredus tres filias ex Sibilia procreavit: *Alteriam* ſeu Albiriam, quæ primùm *Gualterio de Brena*, fratri *Joannis Brenæ* Regis Hieroſolymitani; ſecundùm *Jacobo* Comiti *Triarici*; tertium *Tigrinio Palatino* Tuſciæ Comiti, nupſit; *Conſtantiam*, Petri Avunculi Comitis *Arbæ*, & Venetiarum Ducis conjugem; *Mandoniam*, quæ *Joanni Sforzæ* ex familia præclariſſima *Sancti-Severini* & *Avezani* fuit deſponſata; Duos præterea filios: *Rogerium*, cui An. 1193. *Irenam* Conſtantinopolitani Regis filiam, uxorem dedit, eumque ſibi regni ſocium adſcivit, quô verò ſine liberis mortuô, alterum filium *Guilelmum* Panormi An. 1194. Regem *Siciliæ* ingenti cum pompa *Panormi* ſalutavit. *Anonymus Mon. Caſſin.* in *Brevi Chron.* p. 497. *Roccbus Pirrus* p. 38.

Urbs





URbs antiqua fuis *q* uberrima denique campis
Mater opum *r*, felix Præfule, plena viris.
Ubere luxuriat tellus *s*, autumnus habundat *t*,

Vite

q *Urbs antiqua fuis &c.*] Eſt περίφρασις urbis Capuæ, Poëtis familiaris. Virg. l. 1. Æn. v. 16.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere Coloni
Carthago - - -

r *Mater opum*,] Imitatio Virgiliana l. cit. de Carthagine, *Dives opum.*

s *Ubere luxuriat tellus*,] UBER aliquandò adjectivè ſumitur, ùt in hôc Catulli Carm. 46. v. 5.

Nicææque *ager uber* æſtuoſæ,

aliquandò ſubſtantivè, ùt hic, & in illo Virg. Georg. l. 2. v. 185. Quique frequens herbis, & fertilis *Ubere* Campus. Significatur autem pingue, fœcundumque ſolum. Hinc quoque UBERA mulierum a fœcunditate & copia lactis dicta; quare eleganter Homerus Iliad. l. 9. v. 141. Argos appellat *οὖθαρ ἀρούρης, mammam terræ;* quod brevia Didymi Scholia explicant, τὸ γονιμώτατον καὶ κάλλιστον τῆς γῆς καὶ πιότατον. Non poſſum mihi temperare, quin integrum *Plinii* locum l. 3. Hiſt. Nat. c. 5. hic inſeram, cùm in eo omnes luxuriantis ingenii vires collegiſſe videtur, ut fœcundam Capuæ totiusque Campaniæ amœnitatem pari eloquentiæ ubertate exprimat: „ Felix illa ac beata CAMPANIÆ amœnitas: ut palam ſit, uno in loco gau- „ dentis opus eſſe naturæ. Jam verò tanta ea vitalis ac perennis ſalubritatis cœli „ temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam opa- „ ca nemora, tam munifica ſilvarum genera, tot montium adflatus, tanta frugum „ & vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris „ colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens, tot

 maria,

Vite maritatur populus *u*, amnis amans;
Ordine diſpoſitas eadem complectitur ulmos *x*,
Incola faſtidit quod fluit uva merum.
Ter ſata, ter ſeritur, tria dat reſponſa colono *y*,

Ter

„ maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique, & tanquam „ ad juvandos mortales, ipſa avidè in maria procurrens.

t *autumnus habundat*,] Vel, magnum vini proventum intelligit, adeò ut *Autumnum* pro *Vino* poſuerit, ùt Martial. l. 3. epigr. 58.

Et multa flagrat teſta *ſenibus autumnis*.

i. e. Cella vinaria plena eſt veteris vini amphoris; Vel, præter vina, omnis generis fructus, & inprimis *poma*, quæ *autumni* tempore colliguntur. Horat. Epod. 2 v. 17.

Cùm decorum mitibus *pomis* caput
Auctumnus agris extulit.

u *Vite maritatur populus*] Horat. Epod. Od. 2. v. 9.

Ergò aut adulta *vitium* propagine
Altus *maritat Populos*.

x *eadem complectitur ulmos*,] Inde *Catullus* Carm. 61. v. 54. *Ulmum* vocat *Vitis Maritum*.

Ulmo conjuncta *Marito*.

Idem ib. v. 49. *Viduas vites*, quæ ulmo non ſunt conjunctæ, uti etiam Horat. Od. 5. l. 4.

Et *vitem viduas* ducit ad *arbores*.

Ad vites autem maritandas arbores minus frondoſæ eligebantur, de qua electione videatur *Plinius* l. 17. c. 23. Hiſt. Nat. quem morem *maritandarum vitium* etiamnum Colchi tenent, ita narrante *Busbequio* Epiſt. 3. p. 190. „ Vinum conſitis ad „ pedem altiſſimarum arborum vitibus multum & non contemnendum legunt, at„ que hujuſmodi *vites* per *arboris maritæ* ramos ſparſæ, in multas ætates ſufficiunt.

y *dat reſponſa colono*,] Virg. Georg. l. 1. v. 47.

Illa ſeges demum votis *reſpondet* avari
Agricolæ - - -

terra non reſpondere dicitur, cùm frugum ſemina ſine lucro in terram projiciuntur, aut parcius quam vota colentium volunt, proveniunt, quod ex Ovidii illo l. 4. Faſt. v. 641. intelligere licet,

-- fructu

Ter ſub ſole novo *z* ſemina penſat humus.
Urbem quam loquimur Comes obſidione coartat *a*,
Quæ ſola potuit proditione capi.

Hanc ubi Corradus vi defenſare fatigat,
Dicitur his verbis ammonuiſſe ſuos.
Qui mecum proceres gelido veniſtis ab axe,
Cernite quid populus, quid locus iſte velit.
Et locus & populus noſtro diffidit amori,
In nos haſtiferas cernitis eſſe manus.
Quiſque ſuum nudô pugnet caput enſe tueri *b*,
Nec prece, nec pretio gens facit iſta pium.
Libertas eſt Marte mori *c*, ſervire malignum,
Nobis vita mori, vivere pœna datur.

Hinc

- - fructu non *reſpondente* labori,
Irrita decepta *vota colentis* erant.

quod & *fallere* dixerunt; idem ib. v. 645.

Sæpè *Ceres* primis Dominum *fallebat* in herbis.

Quare Horatio l. 3. Od. 1. *Fundus mendax* vocatur, qui agricolæ votis non reſpondet.

z *ſole novo*] *Sol novus* aliàs Poëtis eſt, *Sol oriens.* Virg. l. 1. Georg. v. 288.

Aut cùm *ſole novo* terras irrorat Eous.

Seneca in Herc. Fur. act. 1. v. 147.

Pennaſque *novo* tradere *ſoli*
Geſtis. - -

a *Comes obſidione coartat*,] *Richardus* Acerrarum Comes, Tancredi adfinis.

b *caput enſe tueri*,] Salluſtius in B. Cat. c. 58. *tegere* pro *tueri* poſuit, *neque locus neque amicus quiſquam* teget, *quem* arma *non* texerint: atque in eandem ſententiam author noſter ſtatim ſubjicit: *Libertas eſt Marte mori.*

c *Marte mori*,] In Bellò, vel per arma cadere. Tibull. l. 4.

Invictus Romano *Marte* Britannus.

Hinc Ἄρης ἀνδρειφόνος Heſiodo vocatur in Scuto Herc. v. 98.

Hinc Auguſtus abeſt, Auguſtaque capta tenetur
  Quid ſupereſt nobis, reſtat in enſe ſalus. *d*
Spes eſt nulla fugæ, quia nos foris obſidet hoſtis,
  Intus adeſt hoſtis, nec domus hoſte caret.
Sicut aper ferus à canibus circumdatus, uncô
  Dente furens *e*, multos ultus, ab hoſte cadit.
Sic veſtrûm ſi fortè cadat, ſit nullus inultus *f*,
  Victorem victi pœnituiſſe juvet.

Ex

d *reſtat in enſe ſalus.*] *Nam in fuga ſalutem ſperare, cùm arma, quîs corpus tegitur, ab hoſtibus averteris, ea verò dementia eſt;* ita Catilina, jamjam acie decertaturus cum hoſte, his verbis inter alia uſus, milites ſuos ad ſtrenuè pugnandum adhortatus eſt.

e *Sicut aper ferus - - dente furens,*] Ovid. Hercid. ep. 4. v. 104.
- - *obliquo dente* timendus aper.
Metaphorâ hâc jam *Heſiodus* uſus, & alii eum eleganter ſequuti fuerunt, cùm indicare voluerunt certantium in pugna furorem, qui aut vincere aut mori ſibi perſuaſum habent. Ille in *Scuto Herculis*, v. 386. & ſeq.

Οἷος δ' ἐν βήσσῃς ὄρεος χαλεπὸς προϊδέσθαι
Κάπρος χαυλιόδων φρονέει θυμῷ μαχέσασθαι
Ἀνδράσι θηρευτῇς, θήγει δέ τε λευκὸν ὀδόντα
Δοχμωθεὶς, ἀφρὸς δὲ περὶ στόμα μαστιχόωντι
Λείβεται, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι εἴκτην.

Ovidius l. 8. Met. v. 338.

Hinc aper excitus medios violentus in hoſtes
Fertur, ut excuſſis eliſus nubibus ignis.
Sternitur incurſu Nemus, & propulſa fragorem
Silva dat, exclamant juvenes, protentaque forti
Tela tenent, dextra lato vibrantia ferro.
Ille ruit, ſpargitque canes, ut quisque *furenti*
Obſtat, & *obliquo* latrantes diſſipat *ictu.*

f *ſit nullus inultus,*] Ita ſæpè fortiſſimi Imperatores in ſummo prælii diſcrimine his verbis quaſi ſtimulô militibus ſuis animum addebant, ut ſi cadendi neceſſitas immineret, hoc tamen in morte ſolatium reportarent, ſi plures ſecum communi letho involverent, & cruentam atque luctuoſam victoriam hoſtibus relinquerent. Catilina ad ſuos Milites: Quòd ſi virtuti veſtræ fortuna inviderit, cavete,

inulti

Ex hinc ad cives ita paucis explicat ora,
    Vos precor hospitibus non temerate fidem.
Augusto servate fidem, si forte, quod absit,
    Tancredum vestrum sanctificare *g* placet.
Nos hinc incolumes obnoxius ire rogamus *h*,
    Non hîc à longo venimus orbe mori.
Augustus si noster abest, trans climata mundi *i*,
    Ipsum prolixas nostis habere manus.
Hactenus arrectâ varium bibit aure tumultum *k*,
    Et stupet & memor est, se superesse virum.

Ut

inulti animam amittatis; talem verò mortem *honestam* appellarunt: Nepos in Chabr. c. 4. & *benè mori* dicti, qui, in acie fortiter dimicantes, ceciderunt; uti Livius l. 22. c. 50. de *L. Lucio Æmilio Paulo*, qui in prælio Cannensi occubuit, prædicat; id Græcis est καλῶς ἀποθανεῖν: Dictator *Posthumius* in Oratione sua, quam paulò ante pugnam ad milites suos habuit, inter alia hæc quoque loquutus est: ἀποθανεῖν μὲν γὰρ πᾶσιν ἀνθρώποις ὀφείλεται, κακοῖς τε καὶ ἀγαθοῖς, καλῶς δὲ καὶ ἐνδόξως μόνοις τοῖς ἀγαθοῖς. i. e. *Mori* quidem omnibus hominibus necesse est, æque ignavis ac fortibus, *benè* autem & *honestè*, solis contingit viris fortibus.

g *Scificare*] In margine *Bongarsii* manu scriptum est, *sanctificare*, quid verò sibi velit *sanclificare Tancredum* divinare nequeo.

h *obnoxius ire rogamus*,] Lege *innoxios*, quibus non nocetur, uti apud Sallustium B. Cat. c. 39. *Hi Magistratus*, *Provincias*, *aliaque omnia tenere*, *ipsi* INNOXII, *florentes*; vel, qui aliis non nocent, quomodò Seneca l. 1. de Ira c. 16. INNOXII *dentes sunt*, *cùm illos frequens morsus exhausit*: utraque significatio hic valere potest.

i *trans climata mundi*,] i. e. In locis remotissimis. Ovid. l. 4. el. 9. Trist. v. 23.

Trans ego Tellurem, *trans* altas audiar undas.

k *bibit aure tumultum*,] *Horat.* l. 2. Od. 13.

Densum humeris *bibit aure* vulgus.

Ovid. l. 3. eleg. 5.

Ore meo lacrymas *auribus* illa *bibi*.

Eadem translatione utitur Cic. l. 2. epist. 14. ad Attic. fac venias ad *sitientes aures*. *Virg.* l. 1. Æn.

Longumque *bibebat amorem*.

Ut cùm mella volunt examina rapta tueri,
Indiſcreta volant, ſollicitata fremunt. *l*
Sic in Teutonicos urbs penè tumultuat omnis,
Regem polluto nominat ore ſuum.
Non niſi Tancredum clamans ſe noſcere Regem *m*,
Proponit monſtrum tam breve ſtulta Jovi. *n*

l *Ut cùm mella - - fremunt.*] Eleganti hàc metaphorâ in eadem re utitur *Quintus Smyrnæus* l. 3. v. 220. & ſeq.


—— Τάων χειλέες εὖτε μέλισσαι
Αἵθ' ἑὸν περὶ σίμβλον ἀπειρέσιαι ποτέονται,
Ἄνδρ' ἐπαμυνόμεναι, ὁ δ' ἄρ οὐκ ἀλέγων ἐπιόντας,
Κηροὺς ἐκτάμνῃσι μελίχροας, αἱ δ' ἀνιάχονται
Καπνοῦ ὕπαι ῥιπῆς, ἠδ' ἀνέρος, ἀλλ' ἄρα καὶ ὣς
Ἀντίαι ἀΐσσουσιν, ὁ δ' οὐκ ὄθετ' οὐδ' ἄρα βαιόν.
Ὣς Αἴας τῶν οὔτι μάλ' ἐσσυμένων ἀλέγιζεν.

i. e. - - veluti protenſis apes labiis,
Quæ circa alveare ſuum agmine innumero volitant,
Dum virum (*mella legentem*) arcent, qui tamen non magni faciens
Favos caſtrat mellitos, ac quamvis illæ crucientur
Fumi impetu & ruſtici, tamen nihilominus
Contra tendunt: Is verò ne minimam quidem rationem habet:
Sic Ajax irruptionem horum nihili æſtimat.

m *Non niſi Tancredum - - noſcere Regem,*) Tumultuantes *Capuani*, imitantur hic Judæos, qui Pilato, meliora eis ſuadenti, eàdem voce reſponderunt, οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ Καίσαρα. Joh. 19. v. 15.

n *ſtulta Jovi.*) Uti Author noſter nimius eſt in deformitate Tancredi effingenda, ita ſervilia veterum blandimenta, ſed inprimis Ovidii erga Auguſtum, quibus Imperatorum ſuorum numina placabant, impiè & frequenter nimis ſequitur; ſic autem ille l. 5. Triſt. eleg. 2. per Apoſtrophen ad Cæſarem, ut exilii mala ei mitiget,

Alloquar en abſens abſentia Numina ſupplex,
Si fas eſt homini cum JOVE poſſe loqui.



COMES RICCARDUS

proditiosè

CAPUAM INGREDIENS
PLURIMIS INTERFECTIS,
MARCHIONEM, & PAUCAS SUORUM RELIQUIAS
ASSECURAVIT.

INterea Comes ante fores præludit in armis,
  Sinones multos novit in urbe viros.
Heu ſubitò patuere fores, foris obice fracto,
  Fit civile nefas, fit populare ſcelus.
Exter ab ignoto cadit, hoſpes ab hoſpite falſo,
  Hic latus enſe cavat *o*, demetit ille caput. *p*

Loricam

o *latus enſe cavat*,] Ovid. l. 12. Met. v. 130. *cavare galeam*
- - & nitido ſecurum cominus hoſtem
Enſe petens, parmam gladiò, *galeamque cavari.*
De *Latere* verò *perforare* poſuit. l. 3. Triſt. Ecl. 9. v. 26.
Innocuum rigido *perforat enſe latus.*

p *demetit ille caput.*] Ovid. l. 5. Met. v. 104.
Demetit enſe *caput.*
Ubi Plantini editio An. 1582. *decutit* legit: ſi prior lectio firmò ſtat talò Heſiodum ſequutus videtur, qui in Theog. v. 180.

L --φὰν

Loricam lorica premit, furit ensis in ensem,
In clypeos clypei, cassis in æra ruit.
A galeis galeæ flammescunt ensibus enses,
Tela vomunt flammas, jactaque fulgus agunt.
Hospitis & cari telô fodit ille cerebrum,
Hic ferus ille ferox, hic ferit, ille ruit.
Hic salit, ille cadit, tenet ille, tenetur ab illo,
Hic levis, ille celer, aptus uterque fugæ.
Hic caput, ille caput q certat jactare periclis,
Opponit telis hic latus, ille latus.
Hic certant clipeis ludentes passibus æquis r,
Ut ludit socio sæpè maritus ovis. s

Hic

- - *φίλα δ᾽ ἀπὸ μήδεα πατρὸς*
Ἐσσυμένως ἤμησε.

Licèt de Saturno patris genitalia, non verò caput demetente, sermo fit.

q *Hic caput, ille caput certat &c.*] Videtur is sensus esse: hic caput vel Dux est agminis alicujus seditiosorum civium, alius verò in confertissimos hostes sese immiscendo extremum capitis sui periculum subit; Vel, hic & ille inter se certant, quis prior & majori animo in illam pugnæ partem se immittat, ubi periculum sit præsentissimum, uterque

Paratus omne Cæsaris periculum
Subire - - suô. (periculô.)

r *passibus æquis*] à Virgilio hausit l. 2. Æn. v. 724.
- - sequiturque patrem non *passibus æquis.*

s *maritus ovis.*] Et hoc ad imitationem *Virgilii* Georg. l. 3. v. 125.
Quem legêre Ducem & *pecori* dixere *maritum.*

Idem Ecl. 7. v. 7.
Vir gregis ipse caper.

Atque *Horatii* l. 1. Od. 17.
Quærunt latentis & thyma deviæ
Olentis *uxores mariti.*

Uterque autem ex *Theocrito*, Idyll. 8. v. 49.
ὦ Τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ.
O Hirce, albarum *Caprarum vir.*

Ke.

Hic ruit à muris præcepsque ſuum trahit hoſtem;
A victo victor, victus ab hoſte cadit.
Ut ſolet à capto Jovis armiger *t* angue ligari,
Hic ligat, ille tenet, nexus uterque perit.
Non aliter qui bella gerunt, in menibus altis,
Cùm duo ſe miſcent *u*, ſunt ſibi cauſa necis.
Alter in alterius ſubnectens brachia dorſum,
Si ruit, ambo ruunt, unus & alter obit.
Cantet inauditum, cantet mirabile dictu
Nunc mea Calliope. *uu*

Dum

t *Jovis armiger*) Epitheton aquilæ Virgilio, Ovidioque uſitatiſſimum.

u *duo ſe miſcent*,) Proprium verbum de iis, qui prælia atque certamina contra ſe invicem ineunt, in quibus unus in alterius necem ruere tentat. Seneca in Phœniſ. act. 3. v. 435.

- - jamque in alternam necem
Illinc & hinc *miſcere* cupientes *manum*.

Ad hunc autem prioresque verſus illuſtrandos, nihil aptius illis *Virgilii* l. 10. Æn. v. 20. huc afferri aut excogitari poſſet, adeò ut mutatò nomine fabula de Capuâ, à *Tancredinis* occupatâ, narrari videatur.

Cernis, ùt inſultent Rutuli? (*Tancredini*) Turnusque
- - (*Comes Richardus*) feratur
Per medios inſignis equis, tumidusque ſecundo
Marte ruat? non clauſa tegunt jam mœnia Teucros (*Cæſarianos*)
Quin intra portas atque ipſis prælia *miſcent*
Aggeribus murorum, & inundant ſanguine foſſæ.

uu *Cantet inauditum* - - *mea Calliope.*) Et hic *Virgilii* veſtigia non invenuſtè, licèt haud paſſibus æquis, preſſit, l. 9. Æn. 525.

Vos ô Calliope, precor aſpirate canenti,
Quas ibi tum ferro ſtrages, quæ funera Turnus (*Comes Richardus*)
Ediderit, quem quisque virum demiſerit Orco.

Frequens enim eſt Poëtis, ubi arduum quid, atque ſublimius, aut etiam humano ingenio inacceſſum, canere volunt, Muſas invocare, quarum ope ſe à re implicita expedire valeant; idem Virg. l. 7. Æn. v. 641. ſeq.

Pandite

Dum Comes iret eques ſpectatum menia circum
Et veniſſet, ubi maxima turris erat.
Hunc vir Teutonicus ſumma ſpeculatus ab arce,
Se dedit in Comitem lapſus ad ima miſer.
Et niſi fata virum rapuiſſent à ſtrage ruentis,
Tunc Comes è lapſu triſte tuliſſet onus.
Ut levis imbriferus per nubes fulgurat æther,
Cùm ſua per rimas nubila ventus arat.
Non ſecus in radiis procul armatura coruſcat,
Nec non criſtatum fulgurat omne caput.
Poſt procerum cædes, vitam Corradus & arma
Vendicat x, & ſocios quos ſupereſſe videt.
Hunc Comes & ſocios dextrâ ſecurat y & ore,
Non poterant proceres tot ſine cæde capi.

Ne


Pandite nunc Helicona, DEÆ, CANTUSQUE MOVETE,
Qui bello exciti Reges, quæ quemque ſecutæ
Complerint campos acies, quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis?
Et meminiſtis enim, DIVÆ, & memorare poteſtis.

x *vitam Corradus & arma vendicat &c.*) i. e. *Marchio Conradus Muſcancervellus*, quùm videret, ſe virtute contra hoſtem nihil amplius proficere poſſe, vitam atque arma ſibi ſociiſque ſuis, qui ex pugna ſuperſtites fuerant, ſervari petit à *Richardo* Comite. Ita eàdem notione uſus eſt Vellejus Pat. l. 2. c. 120. *Sunt, qui vivos ab eo* vindicatos - - *tradiderint.* i. e. Servatos.

y *Hunc Comes - - dextrâ ſecurat*) *Du Cange* in Gloſſario: *Aſſecurare. ſecurare, eſt pignore vel fidejuſſione interpoſitâ ſecurum facere.* Hic mos, licèt omnibus ferè gentibus còmmunis fuerit, dextram ad fidem firmandam porrigere, tamen PERSIS quaſi proprius erat, quòd nulla jurisjurandi aut fidei formula apud eos ſanctior quàm hæc eſſet. Nepos in v. Datam, c. 10. *fidemque de ea re more Perſarum* DEXTRA *dediſſet.* Pauciſſimis hanc *Richardi* Comitis Capuæ expugnationem *Richardus de St. Germano* perſequitur: *Acerrarum Comes de Neapoli exiens, cum Neapolitanis, & aliis undique collectis militibus, venit* Capuam, *Caſtellum obſidet,*

Ne tabô ſolvatur humus quadriga laborat,
Mergitur in fluidis omne cadaver aquis.

ſidet, *in quo Muſcancervellus* (Conradus) *ſe pro Imperatore receperat*, *qui cùm non haberet victui neceſſaria*, *cum Comite ipſo componens*, *tradità ſibi*, *ac reſignatô Caſtellô ipsô*, *abiit ſecurus*, *quô voluit*. Eadem ferè *Anonymus Monaſt. Caſſinenſis*, p. 515. *Comes Richardus cum exercitu & Neapolitanis egrediens*, Capuam *capit civium proditione*, *ubi multi de Teutonicis gladiô pereunt; Conradus Muſca in Cervello in* Caſtro Capuano *aliquamdiu reſiſtit*, *tandem compoſitus cum Comite cum ſuis exiit illæſus*, *Capuæ nobilibus*, *qui cum eo erant*, *carceri deputatis.* vide ſupra pag. 56.



 Cùm



Cùm dubitaret

TANCREDUS

tenere

IMPERATRICEM apud MESSANAM,

ipſam Uxori ſuæ cuſtodiendam PANORMUM mittit, ſcribens ei.

COr breve Tancredi meritò diffidit ubique,
Tam ſibi quàm mundo credit abeſſe fidem.
Nunc mare nunc terras, animo ſcrutatur & urbes,
Pectore ſollicitus nec loca fida videt. [z]
Tandem conſilio dubitantis pectoris uſus,
Curam cuſtodis mittit ut uxor agat.

Acceptô

z *nec loca fida videt.*] Multa timet *Tancredus*, ſed inprimis ne *Conſtantia* cuſtodiâ elabatur, haud ignorans, plurimos eſſe, qui ejus rebus ſtuderent, quique omni curâ in id niterentur, ut eam, Tancredó dejectó, & Liberam & Reginam ſuam conſpicerent.


Acceptô calamô finitur epiſtola paucis,
Exul *a* quam didicit *b* littera græca fuit.

a *Exul*] *Tancredus* à Guilelmô I. ſive *Malo* patruô ſuô cum multis Siciliæ optimatibus deſecerat, qui, contra eum conjurantes, complura munita loca expugnaverant, quibus verò ille omnibus præter *Butaram* receptis, hanc, quia ei Tancredus incluſus erat, obſidione cinxit, quâ etiam in deditionem acceptâ, Tancredi ſociorumque vitæ hâc lege pepercit, ut omni Siciliâ cederent, neque unquam ſe vivô in illam reverterentur. Itaque in Græciam trajecit, ibique annô 1161. tutum exilii ſui locum invenit, unde demum annô 1166. Guilelmo I. fatis functô, Guilelmi II. indulgentiâ in Siciliam revocatus eſt. Ex hâc quinquennali ſua in Græcia commoratione, & inprimis Conſtantinopoli, tantam ſibi familiaritatem in Regia aula contraxerat, ut poſteà filio ſuo natu majori *Rogerio* filiam Imperatoris Græci uxorem obtinuerit, quod matrimonium inſuper odium Græcorum, erga Germaniæ Imperatores, internecinum multum adjuvit.

b *didicit*) Non videtur veroſimile *Tancredum* anteà planè rudem Græcarum litterarum fuiſſe, cùm bella ferè continua, induciæ, ac fœdera, quæ Siculis maximè cum Græcis interceſſerant, contrarium poſtulaverint: Sed inprimis *Normanni* Principes, quarum ſtirps in Tancredo filioque ejus extincta eſt, multa, variâ fortunâ, cum illis habuerunt belli paciſque negotia.



EPI-



EPISTOLA TANCREDI
ad
UXOREM.

HOc ego Tancredus tibi mitto Sibilia ſcriptum,
Quod poſtquam tacito legeris ore crema.
Tu quondam Comitiſſa, modò Regina vocaris,
Tu quondam Licium, tu modò regna tenes.
Quas nunc faſtidis, & quæ quandoque fuere
Divitias *c*, memori ſingula mente nota.
Hæc eſt Rogerii Proto-Regis nobilis hæres,
Illius eſt uxor, qui *d* quatit omne ſolum.

Hanc

c *Tu quondam Comitiſſa - - nunc faſtidis divitias*,) Tu, quæ quondam *Licii* vel *Leccæ* Comitiſſa, quippe mea conjux, nunc verò per me Regiam dignitatem conſecuta, quá nihil inter mortales majus, nihil exoptatius à Deo precibus depoſci poteſt, ſpernis quidem, ac meritò flocci pendes priores fortunas, verùm ne reputes, non prudentiâ, non conſiliò, imò ſingulari prorſus induſtriâ opus eſſe, præſertim hôc temporis articulô, quô, uti *Terentius* ait, *Lupum auribus tenemus*, nam regna facilè iisdem artibus, quibus initiô parata fuerunt, retinentur: ne ergò ſtulti tam ampliſſimis bonis culpâ noſtrâ excidamus, attentâ atque memori mente perpendas, *hocque* nunc *agas*, quod ego è re uſuque noſtro agenda eſſe judico.

d *Proto-Regis hæres, Illius uxor, qui &c.*) Hoc eſt illud malum, quod me malè habet & urit, & generis ſcilicet nobilitas, quâ nemo propius *Conſtantiâ* *Rogerio*

Hanc ego dulcis amor, mea præcariſſima conſors
    Servandam *e* vigili pectore mitto tibi.
Sis Comes & Cuſtos, & ei ſis hoſpes & hoſtis,
    Hanc nunquam ſine te, ſi ſapis, eſſe ſinas.
Una domus vobis, unum de nocte cubile,
    Hanc nunquam ſine te, ſi ſapis, patiare loqui.
Delicioſa duas communicet una parapſis *f*
    Nunc major, nunc par, nunc minor eſſe velis.

Rogerio primo Siciliæ Regi, quippe ejus filiâ, conjuncta: & maritus, cui nupta eſt, quippe Henrici VI. Cæſaris Romani uxor, ad cujus impotentem dominationem totus contremiſco: paucis, illa ſola eſt, cui fas eſt dicere:

Aſt ego, quæ divûm incedo Regina, Jovisque
- - Conjux, una cum gente (*Sicula*) tot annos
Bella gero.

e *Servandam*) *Tancredo* eadem erga *Conſtantiam* captivam mens fuit, quæ olim *Antigono* erga *Eumenem* fuerat, cùm eum in cuſtodiam dediſſet, & Præfectus cuſtodum quæſiſſet, *quemadmodum* ſervari *vellet? ut acerrimum, inquit, leonem, aut ferociſſimum Elephantum.*

f *parapſis*) Idem eſt, ſive legas *parapſis* ſive *paropſis*; Juvenalis Sat. 3. v. 142.
- - quam multa magnaque *paropſide* cœnat.

Ubi Codex Juvenalis manu exaratus, quem olim Bibliotheca mea ſervavit, ſcribit *paraſcide*, & videtur legendum parapſide, uti & in ora editi Juvenalis *Lutetiæ* 1552. 4to. Bibliothecæ Publ. *Berneuſ.* ad hunc locum manu *Franc. Danielis*, qui erat frater *Petri Danielis*, adſcriptum eſt, *Vetus*, *Parapſide.* Duplex enim vocis hujus ſcriptura reperitur, ita obſervante viro in Litteratura Græca longè eruditiſſimo *Tib. Hemſterhuyſen* ad Jul. Pollucem T. II. p. 1259. Eſt autem Vas cibarium, in quo obſonia apponebantur.





IMPERATRIX

ingressa Palatium audacter & imperiosè loquitur, ac respondet

UXORI TANCREDI.

Post hæc ascitis sociis Augusta Panormum
Convehitur, multi condoluere senes.
Heu heu clamantes tacito sub pectore flebant,
Hæredem regni quæ manus ausa tenet. *g*
Pro dolor *h* ingrediens Augusta palatia patris,
Proh pudor insidias obsidionis habet.

Ipsa

g *quæ manus ausa tenet?*] Quis tam impius ausus est tantum committere scelus, ut Augustam captivam teneat? Illa interrogatio est admirantis simul atque indignantis, ob rem aliquam quam minimè fieri oportuisse arbitramur: ad formam illius apud *Virgilium*, qui sibi præ cæteris in hâc figurâ egregiè placet. l. 1. Æn. 43.

Quod genus hoc hominum? *quæve* hæc tam barbara morem
Permittit *patria?*

l. 2. v. 42.

- - ô miseri, *quæ* tanta *insania* Cives?
Creditis avectos hostes?

ib. v. 285.

- - *quæ causa* indigna serenos
Fœdavit vultus?

h *Proh dolor*] proh dolor, proh pudor, proh Jupiter, & sæpè *proh* solum positum sunt exclamationes indignantium apud Veteres. Ovidius l. 11. Met. v. 41. de Orpheo à Bacchis occiso.

- - per-

Ipſa tamen gaudens tamquam viciſſe reſultat,
Et quociens loquitur, viſa ſuperba loqui.
Cerreæ faſtidit opus *i*, faſtidit amari,
Fauſta ſedens neutris *k* imperioſa jubet.

Quô

- - perque os, proh Jupiter! illud,
Auditum ſaxis, intellectumque ferarum
Senſibus, in ventos anima exhalata receſſit.

Inde illa in rebus perditis aut afflictis rebus decantata formula: *Proh Deûm atque hominum fidem!*

i *Cerreæ faſtidit opus*,) *Cerrea* eſt Sibilia, Tancredi uxor, *Acerræ*, vel ùt alii ſcribunt *Cerræ* Comitis filia, *Richardi Acerrarum* Comitis ſoror: *faſtidit opus*, idem eſt quod Ovidius, licèt alio ſenſu, dicit - - damnat & odit *opus*. Triſt. l. 3. el. 7. Opus hic denotat *officium* uti in *Phœn. Senecæ* act. 1. v. 108.

- - faciet, ubicunque eſt *opus*.

Vel id quod cujusque *perſonam* vel naturam *decet*. vid. Gronov. ad h. Sen. locum; vel, *operam* & laborem, ùt Cicero Orat. ad Quirit. poſt Reditum c. 11. *quam* (Rempublicam) *aliquandò omnes uniti* opere, *ſervatam judicaverunt*. Si *primò* ſenſu accipias: intelligendum eſt officium, ſibi à Tancredo in litteris demandatum, quô erga Conſtantiam captivam defungi debeat; ſi *ſecundò*, id vult: Sibiliam, tùm potiſſimùm eô tempore, quô Conſtantia in conſpectum ejus venit, Te tanquam Reginam geſſiſſe, hancque ùt captivam tractaſſe, quod verò illa utrumque magno fortique animo contemſerit; ſi *tertiò*: Sibiliam omnem operam ac curam in eo collocaſſe, ut adpoſitis cuſtodibus, cunctas Conſtantiæ actiones, imò & intimos mentis receſſus rimaretur, ne fortè aliquid moliatur, quod ſibi ac marito ſuo foret detrimento.

k *Fauſta ſedens neutris*) Ex prioribus blandimentis atque divinis compellationibus, quibus Poëta Cæſarem Uxoremque ejus onerat, facile intelligi poteſt, animum & hic attendiſſe ad veterum opinionem, quâ exiſtimabant, Deos ſuos nonnunquam has terras inviſere, ut Bonis Bona, Malis verò Mala tribuant, eorumque ſcelera præſenti pœnâ vindicent; ſenſus ergò eſſet, *Conſtantiam*, ùt Divam aliquam ad hoc adveniſſe, ut Sibiliæ & Tancredi illosque ſectantium injuriam, ſibi maritoque ſuo illatam, ulciſcatur, jusque ſuum forti manu aſſerat: *Fauſta neutris*; non favens, non propitia, inde *fauſta ſidera*, ſalutaria, faventia; *fauſta omina*, proſpera, læta &c.

Quô Cerrea dolet, per eam tum ſæpè vocatur,
Mittit Tancredo talia mota ſuo. *l*

l *Tancredo talia mota ſuo.*) *Mota* pro *commota*, graviſſimè irritata. Nepos in Timol. c. 1. *quibus verbis adeò ille eſt* commotus, *ut nonnunquam vitæ finem facere voluerit;* vel leg. *motu ſuo*, nemine vel ſuadente, vel admonente, aut conſilium ſuppeditante, ſed ſponte ſuâ, mentis ſuæ *motum* atque impetum ſequuta eſt.



EPI-



EPISTOLA UXORIS
ad
TANCREDUM SUUM.

QUid facis ô demens, Comitem misistis an hostem,
Ecce quod exarsit, jus patris hostis habet. *m*
Venit ad hoc Cæsar, sed ad hoc sua venit & uxor,
Victorem victum præda superba facit.
Non opus est armare viros, velare carinas *n*,
Nec proceres belli nec numerare Duces.

Nec

m *quod exarsit, jus patris hostis habet.*) Hostis noster sive Constantia jus in Siciliam cæterasque provincias habet, à patre sibi, mortuis duobus Guilelmis Regibus, hæreditate relictum, quod suum jus, jam non verbis solùm à nobis repetit, sed bellò quoque persequitur. quod brevi antè in Italia sed præcipuè in Apulia *exarserat:* Nepos in Homil. c. 2. *tantum* exarsit *intestinum bellum.*

n *velare carinas,*) Sine authoritate castæ Latinitatis hôc verbò in hunc sensum utitur, *Ovidius* & alii dixissent, *Vela pandere, tendere, dare, laxare*, &c. ejusdem, imò pejoris adhuc κόμματος sunt statim subsequentia verba *ensare manus*, pro *manus ense armare; galeare caput*, pro *caput galeâ tegere*, sive secundùm Ovidium *galeam dare capiti.* l. 6. Met. v. 79. Licèt apud *Nonium Marcellum* in voce *clypeat* ex *Pacuvii* sterquilinio hæc vox eruta videatur. *Pacuv. Hermiona. Currum liquit, chlamide contorta astu* clypeat *brachium, ita &* galeare. *Cynna Epigrammatis: Miseras audet* galeare *puellas.*

M 3

Nec vestire sinus maculosi tegmina ferri *o*,
Non ensare manus, non galeare caput.
Protinus ut veniat, nullô discrimine *p* vincet,
Regna per uxorem Cæsar habebit opes.
Quas nimis ipse doles causis malè consulis ægris,
In caput à stomacho *q* morbus habundat iners.

Quam

o *Nec vestire sinus maculosi tegmina ferri*,] Lego *tegmine*, & *Loricam* intelligit, quæ conserta hamis squammarum in serpentibus similitudinem præ se fert, inde illa *maculosi ferri* appellatio, quoniam Poëtis usitatum est, serpentum squammas, ob varium colorem, præsertim incidentibus in eas solis radiis, cum *maculâ* comparare. Virgilius l. 5. Æn. v. 87.

Cæruleæ cui terga notæ, *maculosus* & auro
Squamam incendebat fulgor - -

Ovidius, cùm Calmi congressum cum stupendæ magnitudinis serpente referret, illius squammas *Loricæ* comparavit. l. 3. Met. v. 63.

Loricæque modò *squamis* defensus & atræ
Duritiâ pellis, validos cute repulit ictus.

Uti noster *Ebulo* ita & Lucanus l. 7. v. 497. Loricam *Pectoris tegmen* vocavit:

- - qua torta graves *Lorica* catenas
Opponit, tutoque latet sub *tegmine* pectus.

p *nullo discrimine*] i. e. Nullo periculo.

q *In caput à stomacho*] Similitudo, à membris humani corporis petita, ad civilem hominum cœtum, tam Imperantium quàm parentium, transferre, exemplis veterum non caret; in quibus præ cæteris illustris est venustissima illa *Menenii Agrippæ* parabola, quâ discordes suos cives, atque contra Patriciorum importunitatem frementes, ad concordiam reduxit: „ Tempore quò in homine, non, ùt „ nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consi„ lium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, suâ curâ, suò labore ven„ tri omnia quæri: Ventrem in medio quietum, nihil aliud, quàm datis volupta„ tibus frui. Conspirasse indè, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet „ datum, nec dentes conficerent: hâc irâ dum ventrem fame domare vellent, „ ipsa unà membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse; Indè apparuis„ se, ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quam alere „ eum &c. Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset iræ ple„ bis in Patres, flexisse mentes hominum. Livius l. 2. c. 32.

Ille

Quam malè dispensas aliis medicamina membris,
Si Caput ignorat.
Si caput ægrotet, valeant & cætera membra *r*,
Ni caput abradas *s*, cætera membra ruent. *t*

Ille autem morbus, qui se ex stomacho in caput transtulit, aliò vix poterit cognosci vel explicari modò nisi hòc: Multi adhuc Siciliæ cives atque ex ipsis optimatibus supersunt, qui maximoperè *Constantiæ* conatus adjuvabunt, atque in tempore illi fortiter adesse non aspernabuntur: Hique in causa sunt, cur Constantia tam altos spiritus alat, neque de ferocià suà aliquid remittat: quà verò, ùt capite, longius extra regni limites remotà, reliqui animum despondebunt, & facilè ad officium suum sese redigi patientur.

r *Si caput ægrotet, valeant & cætera membra,*] Adeòne insanus es Tancrede, ut existimes, ægrotante capite, cætera membra benè valere: Intelligit autem infensissimum *Constantiæ*, ac Cæsarianarum partium, quæ tùm, licèt *Tancredò* rerum potiente, in Sicilià vigebant, erga *Tancredinos* animum.

s *Ni caput abradas, &c.*] Interrogativè capiendum: *& cætera membra ruent?* Sensus est: Nisi illam, utpote omnis mali causam, procul hinc in desertum munitumque aliquem locum seponas, & potius Reginæ instar heic, magnò meò cum dedecore, imperare sinas, putasne clientes illius, quorum magnam turbam in sinu regni tui fovet, mente viribusque frangi posse? falleris, nam morbus pestiferus latius serpet, & sana quoque membra in perniciem trahet. Vel legendum est: *Si caput abradas:* Sublatò & remotò capite, nullò negotiò omnem rem conficies, quoniam reliqui opibus, duce, atque consiliò, veluti vitali succò destituti, aut certò contabescent, aut ultrò tuam implorabunt fidem. Videtur autem his, Sibiliam Tancredo suadere, ut Constantiam è mediò tollat, eòdem ferè modò, quò olim Tarquinius Superbus nuncio filii, patris consilium exquirentis; quid fieri vellet, indigitavit: „ In Hortum Ædium transit, sequente Nuntio filii; ibi inam- „ bulans tacitus, summa papaverum capita dicitur baculò decussisse &c. Liv. l. 1. c. 54.

t *ruent.*] Probè dictum de membris humani corporis, ob nutrimentorum defectum sensim emorientibus. Horat. l. 2. Sat. 3. v. 153.

Deficient inopem venæ te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura *ruenti*.

RESCRI-

RESCRIPTUM TANCREDI

AD


UXOREM.

HÆc ubi Tancredus legit, quæ miſerat uxor,
Altera reſcriptum pagina tale tulit.
Cara michi conjux, & caſti fœdus amoris,
Quam michi miſiſti, pagina robur habet.
Vir magnæ fidei, maturæ gratia mentis
Eſt ibi, conſilio fac, rogo, cuncta ſuo.
Conſule Matheum per quem Regina vocaris,
Illi debemus, quicquid uterque ſumus.
Trans hominem divina ſapit, videt omnia longè,
Achitofel alter, pectus Ulixis habet. *u*
Hunc igitur michi, cara nimis, de more vocatum,
Conſule, conſiliis ipſa quieſce ſuis. *x*

u *pectus Ulixis habet.*] Inde ob verſutiam, calliditatem, ac prudentiam variis ab Homero ornatu epithetis, πολυμήτις, ποικιλομήτις i. e. *varii conſilii*, εἰδὼς δόλους, δολόεις, πολύτροπος, *verſutus*, ἔμφρων, *prudens*, Σισύφεια λαμπουρὶς, *Siſyphia vulpes* &c.

x *conſiliis quieſce ſuis.*] Hòc ſis Catone contenta, ultra
Tu ne quæſieris (ſcire nefas).
Quieſce pro adquieſce. Curt. l. 6. c. 10. *tot modò liberorum parentem, in unico filio* adquieſcentem, *eò quoque orbari.*

UXOR



UXOR TANCREDI
vocatô ſuô
CANCELLARIO,
de Viro conqueritur.

NEc mora Matheum triſtis Cerrea vocavit,
Sic ait, ô veterum Bibliotheca Ducum.
O Regni tutela, fides puriſſima Regum,
Antidotum vitæ, conſule, mœſta queror;
Senſato de Rege *y* queror, quô neſcio pactô,
Serpentem mediô pectore gnarus alit: *z*
Ad ſenium properans dementior exit ab annis,
Et jubet unde vivat penituiſſe ſenem. *a*

Quæ

y *Senſato de Rege*] Barbarè, pro homine mentis ingeniique acumine ita prædito, ut facilè res obſcuriores atque abditas percipere valeat: indè Galli *un homme ſenſé.* Ironicè intelligendum eſt, nam ſupra jam in litteris ad Tancredum exclamat, *quid facis ô demens?* & infra, de eôdem, *dementior exit ab annis.*

z *Serpentem - - alit.*] Eſt παροιμία de ingratis, qui beneficiorum obliti, ſuos benefactores injuriâ afficiunt. Græci dicunt ὄφιν θάλπειν. vid. Adagiographi.

a *jubet undè vivat pœnituiſſe ſenem.*] Nihil ſani ſenſus niſi hoc hinc elicere poſſum: Tam inepta ſibique perniciosa, ob ſenium delirans *Tancredus*, nunc jubet, ut certò eum aliquando antejuſſorum & vitæ ipſius pœnitentia inceſſura ſit: *vivat pœnituiſſe*, pro *pœniteat vixiſſe.*

N

Quæ ſpes regnandi, vel quæ mihi vita ſuperſtes,
    Cum prope me patrio jure ſuperba ſedet. *b*
Et quociens video quæ Cæſaris ore ſuperbit,
    Ah tociens animus deficit inde meus.
Conſule, quid faciam, privatis conſule morbis,
    Nam cruciant animos nocte dieque meos.

b *patrio jure ſuperba ſedet.*] Conſtantia Rogerii patris ſui jus in Siciliam ſibi vindicat, juxtaque me Regio throno inſidens, ſuperbè imperat. SEDERE proprium de Imperantibus, juraque dicentibus verbum eſt. *Lactantius* de Deo l. 6. c. 8. Sedet *enim maximus & æquiſſimus judex, ſpeculator ac teſtis omnium.*



RE-



RESPONSIO BIGAMI.

TUnc ita Matheus meritò Sibilla vocâris,
    Nam procul expertâ mente futura vides.
Regis culpa fuit, certè non imputo Regi,
    Plurima cor noſtri Regis agenda gravant.
Implicitum multum dominantis ſenſus oberrat,
    Et quandoque jubet, quod rationis eget.
Et quia caſtra fidem quàm plurima non benè ſervant,
    Urbes ſpem modicæ credulitatis habent. *c*

Verti-

c *caſtra - - fidem - - urbes credulitatis habent.*] Dubià militum voluntate etiam togatorum civium fides vacillare videtur: *Caſtra* & *Urbes*, pro *Militibus* & *Civibus*; ùt Horat. l. 1. Od. 10.

- - *iniqua Trojæ* caſtra *fefellit*

Et Propert. l. 4. eleg. 4.

Atque intermiſſâ caſtra ſilere *tubâ.*

Ita ferè ſemper vulgi & civium mos fuerat, ad militum nutum, ùtpote plus valentium, ſuam adcommodare voluntarem; quod & *Dioni* ejusdem, cujus *Tancredus* erat, Siciliæ tyranno fataliter contigit: *Vulgus offenſâ in eum* militum *voluntate liberius loquebatur*, *&* *tyrannum non ferendum dictitabat.* Nep. in vita ejus c. 7.

CREDULITAS hic fidem quoque denotat, & à poſterioribus ſcriptoribus pro firma Chriſtianæ Religionis perſuaſione accipi cœpta eſt: *Salvianus l.* 3. contra avaritiam: *licèt* credulitatem *tuam verbis velis aſſeverare*, *non credis.* *Petrus Chryſologus* Serm. 159. *ſicut illi Magi*, *qui ſunt fidei noſtræ Duces*, credulitatisque *Principes.*

N 2

Vertitur in dubium, quô ſit cuſtode tuenda,
Vel quô ſervetur præda verenda locô.
Indè ſuos dejecit humo Matheus ocellos,
In cor ſe referens, præmeditatus ait.
Eſt locus, eſt memini mediis contentus in undis,
Quem maris ex omni parte tuentur aquæ.
Quem vis naturæ cumulum produxit in altum,
Qui circum ſcopulos ſub pede rupis habet.
A rate remivaga ſcopulis munitur acutis,
Hinc lapis hoſtiles, hinc vetat unda pedes.
Qui nomen Salvator *d* habet, quia credite ſalvat,
Tantaque ſit tanto præda tenenda loco.
Cerreæ placuit numur *e*, quod dixerat ille,
Scribitur Urbano pagina parva viro.
Hanc Alierne Comes munito carcere ſerves *f*,
Nil ſuper hoc Regi gratius eſſe putes.

Proti-

d *Qui nomen Salvator*] Optimè atque peraccuratè *Bened. de Falco in Antiquit. Neapolit.* Vol. 21. Burmann. Theſ. Ital. p. 9. de hoc Caſtro: „ Per maris „ littora reliquiæ piſcinæ *Luculli* apparent, quæ usque adhuc (*Locugliano*) vocantur, ejusque Palatium promontorium erat *Echia* in mare procurrens, proceſſu „ verò temporis à continente diviſum fuit, ac à *Normannis* in Fortalitium ſeu „ Caſtellum communitum, quod cùm ad formam *Ovi* ſit erectum, *Caſtellum Ovi* „ dicitur. In *Caſtello Ovi* exiſtit *Salvatoris* ſacellum, locus idcircò is antiquitus „ *Sancti* Salvatoris Inſula nuncupatus fuit, eſtque è regione *Pizzofalcone*.

e *placuit numur*,] Legendum *Murmur*. Iniquò animò *Ebulo* noſter ferre videtur, quòd *Matthæus* Cancellarius *Sibiliæ* ſuaſerit, ut *Conſtantiam* in munitum aliquem locum, aquis undique ac præruptis ſcopulis cinctum, ableget; inde conſilium ejus *Murmur* vocat, quod eſt ſermo inconditus & tumultuoſus. Quare vulgi ſermonibus, quia eis loquentiæ multùm ſapientiæ verò parùm inſit, *murmur*, plerumque tribuitur. Ovid. l. 13. Met. v. 124. *Murmur vulgi*; & alibi *Murmura famæ* &c.

f *Alierne Comes* . . *carcere ſerves*,] Nihil de hoc *Alierno* Comite compertum

Protinus Auguſtam, Cerrea præcipiente,
Ad te Parthenope remus & aura vehit.
Sic ſcelus eructat, ſcelerum ſic fumat abyſſus,
Thuraque mortiferi ſulfuris olla vomit.
Sic vetus exalat fumum putredinis antrum,
Effundit quæ vix texta venena capit. *g*
O Sodomea lues, O Gomorrea propago,
Vixeris urbanis morsque ruina tuis. *h*

Vasva

pertum habere potui, niſi quod in oppoſita pictura, nihil aliàs memorabile continente, hæc verba ſcripta ſint: *Scribit Bigamus Sacerdos* Alierno *Neapolitano*, *ut Imperatricem in* Caſtro Salvatoris *ad Mare benè cuſtodiat.* Sed & hoc animadvertendum eſt, cæteros Scriptores, qui horum temporum hiſtorias concinnarunt, ſaltem illos, quos mihi pervolvere licuit, nihil de triplici hâc cuſtodiæ permutatione commemoraſſe; Nam ſecundùm noſtrum authorem *Conſtantia* primùm à Salernitanis *Meſſanam*, indè à Tancredo *Panormum*, hinc autem à Sibilia in *Caſtrum Salvatoris*, Neapoli imminens, transmiſſa fuit. *Richardus de S. Germano* in Chron. ſuo p. 549. paucis his rem totam abſolvit: *Salernitani ad captandam Tancredi Regis gratiam, detentam Imperatricem ipſi Regi in Siciliam mittunt. Otto de S. Blaſio* cap. 37. ne hanc quidem *Conſtantiæ* in Siciliam transvectionem attingit, ſed hæc ſolùm narrat: *in qua mora* (Cæſaris ad Neapolin) *à quibusdam Baronibus Apuliæ, propinquis ſuis, Imperatrix capitur, & cum maxima diligentia cuſtodita, in captivitate detinetur tempore aliquanto.*

g *Effundit quæ vix texta venena capit.*] Longè hinc vox *texta* amoveatur, illius verò locum tutò occupet *teſta:* ut ſententia hæc ſit. *Matthæus* tantum veneni ex impuriſſimi ſui pectoris fonte effundit, quantum vix ulla teſta capiendo par eſſet. Teſtis i. e. Amphoris ſeu Cadis fictilibus veteres utebantur, ad condenda vina, quarum optimæ erant, quæ in Græcia fingebantur, id docente *Lambinô* ad hæc Horatii l. 1. Od. 20.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, *Græca* quod ego ipſe *teſta*
Conditum levi, datus in theatro
Cùm tibi plauſus.

h *urbanis - - tuis.*] i. e. Civibus, urbem incolentibus. Nepos in Cim. c. 2. *Populum Urbanum* adpellavit, ad diſcrimen eorum, qui in agris habitant.

Vasva peccati [i], veteris vetus amfora fraudis
Fons odiique nefas, exiciale chaos.
Templum Luciferi, qui noctem Lucifer odit,
Qui quantò voluit, cellior effe, ruit.
Duxeris unde genus [k]? Gens à me nulla requirat,
Nam Cartago tuos dirruta mifit avos. [l]
Paupere lintheolo tecti venere Salernum,
Quorum pauperies quid nifi flere fuit.

Quos

i *Vasva peccati*,] Leg. *Vas vah peccati.* In ora libri *Bongarfius* correxit *Valva*, fed prior lectio fimplicior.

k *Duxeris unde genus*?] Trita phrafis Ovidio, aliisque, is l. 6. Met. v. 427.
Et *Genus* à magno *ducentem* fortè Gradivo.
Ep. Her. 19. v. 148.
A tibi fufpecto *ducit* Ulixe *genus*.

l *Carthago dir. tuos mittit avos.*] Propriè *mitti* dicuntur, quæ ex longinquis terris advehuntur, & quæ peregrina funt. Ovid. l. 1. Faft. v. 341.
Tura nec Euphrates, nec *miferat* India Coftum.
Per *Avos* autem majores quosvis ac progenitores defignat. Sen. Herc. Fur. act. 2. v. 338. 339.
- - Nobiles non funt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus.
Lucanus l. 8. v. 73.
Femina, tantorum titulis infignis *avorum*.
Quòd verò *Matthæus* ex diruta *Carthagine* originem traxerit, id non fine omine factum effe, obliquè fignificare voluit, cùm, quia Carthaginenfes ab omni memoria, & florentibus & perditis eorum rebus, Romano nomini fatales hoftes fuerunt: tum etiam, ut obfcuriffimi generis vilitatem in *Matthæo* taxaret, quòd ex urbe everfa oriundus fit; Magnæ enim femper laudi ducebatur, patriam habere, omnibus copiis adfluentem, ædificiorumque elegantià & amplitudine fplendidam: Quod *Nepos* in *Alcibiade*, cùm & animi, & corporis fortunæque bona, quibus præ cæteris civibus fuerat inftructus, enumeraffet, ùt primum, maximumque pofuit, quòd ATHENIS *ampliffima civitate natus effet.* cap. 1.

Quos utinam nunquam vidiſſent littora noſtra,
Ex his naturæ non quereretur opus. *m*
Officium quorum naturæ crimen & hoſtis *n*,
Femineas cæca polluit arte genas. *o*
Exultans odiis, contraria pacis amaſti,
Eccleſiæ ſtimulus *p*, ſeu rationis honus.
Juſtitiam viduis viſo non ære negaſti,
Multociens ſociis cauſaque litis erat.

Primi-

m *Ex his naturæ non quereretur opus.*] Ad hujus ſequentisque verſûs denſiſſimas tenebras diſſipandas, nihil lucis video præter adjectam picturam, in qua *Matthæus* altiori ſellæ inſidens, duabus ſuis uxoribus ab utraque parte adſtantibus, manus ſuas illarum humeris imponit, hæ verò, manibus in ſinum mariti rejectis, illi adblandiri videntur, cum his verbis: *Matthæus Cancellarius*, *prima uxor*, *ſecunda uxor.* Ut hæc verborum ſit ſententia: Niſi majores ejus Italiæ littora attigiſſent, non eſſet cur natura de illata ſibi injuria quereretur, cui inter alias hæc eſt ab Optimo Conditore poſita lex, ut Bini, Mas & Fœmella matrimonió jungantur.

n *Officium quorum naturæ crimen & hoſtis*,] Lego *quarum*, ut referatur ad uxores, quarum flagitioſa officia, quæ *Matthæo* in illicita Venere præſtiterant, natura ipſa abhorret, crimenque ducit nullo ſatis piandum ſanguine.

o *Femineas cæca - - arte genas.*] Fœminarum pudicitiæ inſidias tendit, easque ignotis doloſisque artibus, quaſi Magico carmine irretitas, omni nequitiæ genere contaminat. *Cæcæ artes* ſunt ignotæ, obſcuræ. CÆCUM enim non tantùm eſt id, quod non videt, ſed & quod non videtur; ùt Virgilio *cæcus ignis* l. 4. Æn. v, 2. *Cæcum vulnus* Ovidio Ep. Her. 4. v. 20. *Cæca via* Propert. l. 2. eleg. 4.

p *Eccleſiæ ſtimulus*,] *Stimulus* propriè eſt id, quô, ad rem aliquam celerius atque alacrius promovendam, utimur; Itaque *Matthæus Stimulus Eccleſiæ* vocatur, quòd poteſtate ſuâ cùm ſacrâ, nam *Sacerdos* erat, tùm civili, quia *Cancellarii* munere fungebatur, ad Eccleſiæ perniciem abutatur, eamque velut ſubditis ſtimulis citô pede ad exitium ſuum propellat. Et hôc ſenſu rectè de *Matthæo*, quæ Lucanus de Cæſare l. 7. v. 557. ſeq. ſcripſit, dicerentur.

Hic CÆSAR, rabies populi, *ſtimulusque furorum*,
Ne qua parte ſui pereat ſcelus, agmina circum
It vagus, atque animis ignes flagrantibus addit.

Primicias odii pro regno ſæpe litaſti,
Undè queri poterant ſæcula ſolus eras. *q*
Te ſinus Eccleſiæ contra decreta recepit,
Peccati Bigamum *r* non decet ara Dei.
Te prece vel pretiô, ſanctiſſime Papa fefellit,
Neſcio quô pactô tanta licere viro.
Ut Bigami ſcelerata manus tractaret in ara
Cui Deus æterno ſe dedit eſſe parem. *s*

Sæpe laboranti cum nil ſuccurrere poſſet,
Humano tepuit ſanguine gutta pedum. *t*

Ut

q *ſecula ſolus eras.*] *Secula* pro tempore Lactantius poſuit l. 5. c. 1. *à doctis hujus* ſeculi - - *derideri ſolet.* Hic verò notat *homines*, uti apud Claud. l. 2. in Rufin. v. 473.

Húc poſt emeritam *mortalia ſecula* vitam
Deveniunt - - -

Mortalia ſecula i. e. homines.

r *Peccati Bigamum*] Leg. *peccavit.* Ordo eſt, *quod te ſinus Eccleſiæ recepit, peccavit contra decreta ſua, quoniam Bigamum ara Dei non decet.* Illud *peccati*, quòcunque modò volvas atque revolvas, ineptum eſt.

s *Ut Bigami - - dedit eſſe parem.*] Sententia eſt: Quæ hæc licentia? ut is, qui à nullo ſcelerum genere manus ſuas unquam abſtinuit, iisdem impiis manibus venerandum Chriſti corpus, ſub panis ſpecie latens, attrectet? *Magiſter d'Ebulo* facilè hic ab hominibus, curioſius verba rimantibus, impietatis reus fieri poſſet, quaſi filium, quod ad humanam ejus naturam adtinet, Deo Patri parem arbitretur,

t *Humano tepuit - - gutta pedum.*] *Gutta pedum* eſt Podagra, Gallis hodiè *la Goutte* dicta. *Chronicon Caſaurienſe* citatum *du Cangio* in Gloſſ. h. v. *Illa infirmitate, quæ* Gutta *appellatur, graviter fuerat occupatus.* Sævum *Matthæi* animum, dolores podagricos ſanguine humano ſedantis, jam ſupra exagitavit.

Ut Paris exussit Trojam fataliter ustam,
Ut Sodomos miserè mersit abusa Venus. [u]
Urbs ita Lernina [x] tibi credens false Sacerdos,
Mortis in opprobrium per tua facta ruet.
Nec tu Parthenope, quòd Cæsar abindè recessit,
Exultes, veniet, fortior atque ferus.
Ut Jovis ad prædam, quantò volat altius, ales
Descendens tantò fortius ungue ferit. [y]
Non aliter Cæsar mundi descendet ab ala,
Trux veniet tandem, qui fuit ante pius.


u *abusa Venus.*] *Passivè*, pro Venere, quâ *Sodomæi* abusi fuerunt. Dantur enim multa *deponentia*, quæ & agendi & patiendi significationem habent, & à veteribus Grammaticis *communia* nominantur. Ratio inde est, quia prisci illa etiam activa terminatione proferre solebant. Vid. Cort. ad Sall. Bell. Cat. c. 7. p. 49. Lactantius de Ira Dei c. 16. *ita quasi communi latrociniis terra omnis* depopulabitur.

x *Urbs Lernina*] Salernum.

y *Ut Jovis ales - - ungue ferit.*] Simile huic est Ovidii illud l. 3. Art. Am. v. 420.

Et *Jovis* in multas devolat *ales aves.*





DOMINUS
PAPA CELESTINUS
misit
TANCREDO,
ùt
CONSORTEM CÆSARIS
dimitteret.

TEmporis elapſu, ſpatioque vagante dierum,
 A Celeſtino littera miſſa fuit.
Hæc Tancrede tibi mando per numina cæli,
 Et niſi quod jubeo, feceris, hoſtis ero.
Unde tibi tantus furor, aut dementia tanta?
 In jubar illicitas ſolis inire manus.
Unde tibi tantæ ſupereſt audacia mentis?
 Auſus es expertam detinuiſſe diem. a

Jam

a *expertam - diem.*] Leg. *Eſperiam*, ſive *Italicam*, *Auſoniam*. Hesperia enim antiquis *Italia* dicta. Virg. L. 1. Æn. v. 350. ſeq.
 Eſt locus *Heſperiam* Graji cognomine dicunt,
 Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ:
 Oenotrii coluere viri, nunc fama, minores
 Italiam dixiſſe, Ducis de nomine gentem.

Jam tumet unda maris, jam fervet & ira Leonis,
    Jam trepidant montes, jam mea cimba timet.
Jam fera concutiunt sine lege tonitrua mundum,
    Jam Polus ignoscit *b*, æthera fulgur agit.
Quam geris inclusam, trans Alpes cornua fundit,
    Sollicitans solem regia luna suum.
Quis tibi jura dedit? tribuit quis vincula Petri?
    Jus sine jure tenes connubiale viro. *c*
An tibi sceptra parum regni sumsisse *d* videtur?
    Infelix honeri cur supperaddis honus *e*?
Sæpius in stragem ruit incidentis, & icta
    Allidens longè concutit arbor humum.

Quem

b *Polus ignoscit*,] Leg. *Ignescit.* Virgilius l. 1. Æn. v. 94.

Intonuere *Poli*, & crebris micat *ignibus* Æther.

Sicut igitur hâc metaphorâ, à fulminante ac fulgurante Æthere desumptâ, iratus Cæsaris animus indicatur, qui fulminis instar omnia latè prosternet, & incendio devastabit; ita Virgilius de *Turno* contra Trojanos furente l. 9. Æn. v. 66.

Ignescunt iræ, & duris dolòr ossibus *ardet.*

Hoc autem vult: *Constantia* maritum Cæsarem in auxilium atque liberationem suam vocat, qui protinùs vindex atque assertor uxoris suæ aderit.

c *Jus - - connubiale viro.*] Abuteris regnandi jure, quod soli *Henrico*, ob *Constantiæ* connubium, debetur.

d *sceptra regni sumpsisse*] Singularis est vocis *sumere* efficacia, ad designandum, *Tancredum* in jura aliena involasse: undè & illud *Pollionis* in *Gallieno* c. 4. fluxit: *Imperium sumsit*, & passim apud *Eutropium* & alios *Purpuram sumere*, de Tyrannis vel Ducibus, qui perfidi, ruptò militari sacramentò, ab Imperatoribus suis desciverunt, dicitur.

e *oneri superaddis onus?*] Tuò te infortuniò mactas miser, sat enim contraxisse criminis, tua vetera facta pensando, videbis, sed inprimis cùm Siciliæ regnum invasisti, quà tam effreni audaciâ non contentus, aliud superaddis facinus, priori si non gravius, haud certè minus, quòd Imperatricem captivam detines.

O 2

Quem gerit accinctus gladiator læditur ense,
Qui prius incepit, verbera, plus doluit.
Quod tibi continget, Saladin quod contigit olim *f*,
Cujus Hierusalem lancea vincit humum.
Crux ubi capta *g* fuit, quâ certa redemptio nostra est,
Movit in actorem secla præda suum. *h*

Sic

f *Saladin quod contigit olim* &c.] SALADINUS Saracenus, Nepos ex fratre *Siracuni*, Ægypti Regis, quod regnum patruus, armis occupatum, huic Nepoti suo *Saladino* testamentò reliquit: Is quòd ingenii atque animi fortitudine, singularique in bello peritiâ omnibus præstaret, celeriter Imperii sui fines longè lateque & in ipsam quoque *Palæstinam* protendit, quod eò facilius illi erat, quùm in summa *Christianorum* ignavia, atque funesta dissensione, felicissimum armorum suorum haberet successum; Acie enim, quarto Nonas Julias anni à parta salute 1187. superatis, ac in fugam versis *Christianis*, ipsoque Rege *Hierosolymæ Guidone de Lisiniaco* vix *Saracenorum* manibus elapsò, ad urbem *Hierosolymam* castra movit, quâ brevi tempore obsessâ, hàc sese conditione oppidani dediderunt, ut sibi cum liberis rebusque suis, quæ moveri poterant, discedendi libera foret facultas: Quò factò omnia reliqua illius terræ munita loca, paucis exceptis, in potestatem *Saladini* cessère. *Jacob. de Vitriaco* in Hist. Hierosol. p. 118. apud *Bongarsium* in gestis Dei per Francos T. 1.

g *Crux ubi capta*] Hoc graviter dolet *Vitriacus* eod. l. „ Ut autem certis „ indiciis, & evidentibus signis Dominum sibi terribiliter offensum agnoscerent, & „ divinæ protectionis clypeum ab ipsis recessisse non dubitarent, *lignum salutiferæ* „ *crucis*, quod die illò tenebrosò secum in prælium detulerunt, lamentabili infor- „ tuniò amiserunt.


h *Movet in actorem secla præda suum.*] Lego *Secula*, eòdem sensu quò supra, homines scil. & Principes *Christianos* illa ætate viventes: *Saladinus*, captis omnibus ferè *Terræ Sanctæ* civitatibus, profligatis *Christianis*, ac direptis eorum bonis, ingentem ante se prædam agebat: quò lugubri nuntiò excitati Europæ Principes, ut laborantibus adflictisque suorum rebus quamprimum succurrerent, validissimis instructi copiis, expeditionem in Orientem susceperunt, inter quos potentiâ atque authoritate *Fridericus* Romanorum Imperator, *Barbarossa* cognominatus, *Philippus* Galliarum, & *Richardus* Angliæ Reges, reliquos longè antecellebant: In qua expeditione *Fridericus*, qui, diverso itinere atque tempore, prior in Asiam contenderat, cùm *Cydnum* Ciliciæ fluvium, quem *Vitriacus Ferreum* nominat, intensis-

Sic in te tua præda manus converterit omnes,
Quod compensabit libera præda vices.
His igitur lectis, tibi mitto, remitte maritam,
Ipsa suum poterit pacificare virum.

Hæc ubi perlegit Tancredus, ùt unda movetur,
Ut quatitur tumidis parvula puppis aquis.
Ignorans quid agat, Dominam dimittere mundi
Fluctuat, & contra jussa tenere timet.
Ut ictus inveniens nemorum diversa viarum
Compita, quô tendat tramine nescit homo.
Tandem consilium deliberat anxius in se,
Quam tenet inclusam tristis abire jubet. *i*

tensissimo solis æstu lavandi gratiâ ingressus esset, non sine irreparabili damno universæ *Christianæ* rei submersus est.

i *Quam tenet inclusam tristis abire jubet.*] Plerique scriptores liberatæ *Constantiæ* gloriam *Cælestino* Pontifici acceptam ferunt. *Chronicon Fossæ Novæ* p. 74. Collect. *Carus.* T. 1. „ Annô 1193. Indictione decima, hôc annô Dominus Cæ„ lestinus Papa misit Dominum Ægidium Diaconum Cardinalem Anagniæ Panor„ mum, retulit Imperatricem *Constantiam*, quam Salernitani dederant Regi *Tan„ credo*, & honorificè duxit eam Romam, & sic Dominus Papa honorificè reman„ davit eam cum suis expendiis Imperatori in Allemanniam. *Otto de S. Blasio* cap. 37. „ Apostolicus (*Pontifex*) comotus (*ob Constantiam captam*) Præsumpto„ res hujus rei, terrâ eorum sub interdicto positâ anathemate constrinxit, Impera„ tricemque captivitate relaxari coëgit, quam postmodum ad Cisalpina reverten„ tem, Imperator recepit, die ultionis in corde ejus cum nimia indignitate statu„ tutâ. Mollius de hoc *Tancredi* facto, nullâ *Cælestini* mentione injectâ, judicat *Richardus de S. Germano* locô sæpè jam cit. *Quam* (Constantiam) *Rex ipse* (Tancredus) *debito cum honore* (à Salernitanis missam) *recipiens, magnis ornatam muneribus, in Alemanniam ad Imperatorem remittit.*



ILLUSTRIS

REX ANGLIÆ

à JEROSOLYMIS rediens captus præsentatur

AUGUSTO.

CÆsaris ut fugeret leges, tuus Anglia Princeps
Turpis ad obsequium turpe minister erat.
Quid prodest versare dapes? servire culinæ?
Omnia quæ fiunt, Cæsar in orbe videt.
Rex sub veste latens, malè nam vestitus ùt hospes
Captus defertur Cæsaris ante pedes.
Cæsar Cæsareum vocat ad se more senatum,
Conveniens Regem, talia, questus, ait.

Quis tibi posse dedit, nostrûm saturatè cruoris
Nostros nocturna perdere fraude Duces *k*?

Parco

k *Cæsaris ut fugeret - - perdere fraude Duces.*] Nihil enucleatius ad hæc illustranda adferri potest, quam quod *Otto de S. Blasio* cap. 38. de tota hac historia retulit, ita ut illius verba, licèt longiora, his subtexere haud dubitem: „ Hâc „ tempestate Rex Anglorum Richardus de expeditione transmarina rediens, per „ Unga-

Parco tibi, jam liber eas in ſanguinis hauſtum,
Nam tua Jeruſalem dextra redemit humum.
Spectat adhuc certè reditus Trinacria noſtros *l*,
Quæ tibi ſub falſo munere præda fuit.
Nam fallis miſerum ſola formidine Regem
Diſſimulans bellum jura ſororis agens.
Te poſtquam vicit multo Tancredus in auro *m*,
Auſus es in noſtrum jus perhibere fidem.

Rex

,, Ungariam in fines Ducis Leopoldi, paucis comitatus, devenit, memorque inju-
,, riarum eidem Duci apud Accaron à ſe exhibitarum, ipſum nimis metuentem,
,, dimiſſò Regali obſequiò, privatò habitu furtim celeriterque tranſire cupiens, in
,, quoddam diverſarium apud Viennam civitatem neceſſitate prandii divertit, ſociis
,, præter paucos à ſe dimiſſis: Itaque *ſervili opere, ne agnoſceretur in coctione*
,, *pulmentorum per ſe dans operam, altile ligno affixum propria manu vertens aſſabat,*
,, *annulum egregium digito oblitus.* Quidam igitur de familia Ducis, qui cum Duce
,, apud Accaronitas viſum Regem notum habebat, de civitate fortuitò egreſſus, *taber-*
,, *nam Regali coquo inſignem*, intravit, & ex conſideratione annuli ipſum reſpi-
,, ciens & recognoſcens, agnitum diſſimulavit; concitoque curſu in civitatem re-
,, verſus, Ducem qui tum fortè aderat, de præſentia Regis certificans, admodum
,, exhilaravit; Igitur ſine mora aſcenſis equis cum frequentia militum Dux accur-
,, rens, Regem frixam carnem manu tenentem captivavit, irriſumque tali opere
,, in civitatem duxit, eumque arctiſſimæ cuſtodiæ mancipavit, digna recompenſa-
,, tione reddens ei quod meruit.

l *Spectat - - veſtros*,] *Spectat* pro *Exſpectat*. Pro *veſtros* lege *noſtros*.

m *Quæ tibi - - in auro*,] Cùm annò 1190. *Richardus* Angliæ Rex, claſ-
ſe ſua in Aſiam profecturus, in itinere ad *Tancredum* Siciliæ tunc imperantem,
divertiſſet, cùm ùt ipſe verbis quidem præ ſe ferebat, quò & *Tancredum* & ſoro-
rem ſuam *Joannam*, quæ olim Guilelmo II. nupta fuerat, officioſè ſalutaret, re
autem vera, ut ingentem pecuniæ ſummam, quâ haud dubiè ad tanti itineris,
tantique belli ſumptus ferendos, indigebat, à Tancredo, Siculiſque nomine dotis,
ſorori ſuæ debitæ, extorqueret: *Meſſanenſes*, nam ibi tum appulit, id ſentientes,
tumultum moverunt, omneſque Anglos ex urbe ſua ejecerunt: quà re incenſus
Richardus, tantam injuriam vindicaturus, armatâ manu *Meſſanam*, ante quam
caſtra ſua poſuerat, ingredi ſtudebat; *Tancredus*, ut ingruentem tempeſtatem evi-
taret,

Rex ita reſpondit tollens ad ſidera palmas,
A meritis, inquit, collige digna Deus.
O Deus omnividens hominum qui cernis abyſſum,
Qui terra qui mare concutis, aſtra legis,
Quàm benè reſpondes patientibus ardua prole,
Sic tuus emeruit miles ab hoſte capi.
Hinc, ait, ô Cæſar, quod opus, quæ cauſa, quis actus?
Me nunc incuſant, rem modò cauſa ferat.
Sum reus, auctor abeſt, nec adeſt, ſed abeſſe neceſſe eſt,
Quisquis erit, vires Regis & arma probet.
Salva pace tua veniat, qui pugnet & inſtet,
Objectis faciens enſis utrique fidem. *n*

An

taret, ad *Richardum* properat, eique perſuadet, id non ſuo juſſu, ſed paucorum civium contumaciâ factum eſſe, cunctaque, proùt imperaſſet, ſe acturum pollicetur; cujus atque *Philippi* Galliarum Regis, qui & ibi cum claſſe aderat, precibus victus, ab urbe receſſit: *Sed ubi Richardus* (hæc ſunt verba *Fazeli* de Rebus Siculis *Poſter. Decadis* l. 8. cap. 6.) *ludificari ſe ab oppidanis cognovit, indignatus, admotis confeſtim ad muros ſcalis, injectoque portis igne, tanto impetu per unius diei ſpatium urbem infeſtavit, ut disjectis mænibus, portisque revulſis, urbe tandem ſit potitus, magnâ civium ſtrage editâ, quam major etiam cædes fuiſſet ſecuta, niſi victor civium motus, receptui canere juſſiſſet: ſedato tumultu, & civibus aliquot ſeditionis authoribus morte multatis, Tancredus non multò poſt affuit, & pecuniâ mutuo à mercatoribus acceptâ, redditâque Joannæ Reginæ dote, pacem cum Richardo firmavit* &c.


n *Salva pace - - enſis utrique fidem.*] Hos verſus explanatiores reddunt verba illa, quæ in pictura, ex adverſum poſita, leguntur, in qua Imperator *Henricus* ſellæ inſidet, & *Richardus* Rex coram illo ſtans, manum ſtrictò gladiò armatam protendit, his adjectis verbis: *Rex Angliæ de morte Marchionis accuſatur, quod abnegans ſe enſiva manu excuſaturum promittit;* per *Marchionem* intelligit *Ducem Leopoldum*; qui duo cùm jam olim in *Palæſtina* inter ſe obtrectaſſent, & Rex inimicitiam ſuam erga Ducem palam præ ſe ferebat, tantò magis ſuſpicionem movit, quòd jam redux factus, fines Ducis ipſamque illius imperii ſedem *Viennam*, ingreſſus ſit, quaſi vitæ ejus inſidiatus fuiſſet; Ille verò ad innocentiam ſuam coram omnibus teſtandam, ſed inprimis ut eam Cæſari tanquam Judici probaret,

An pugnare meo solus cum Cæsare veni?
Absit, in hac humili veste quis arma movet?
Et si cum Dominô mundi pugnare licebit,
Unde michi veniet miles, & unde pedes?
O decus imperii, nec me sine judice dampnes,
Nam tua judicii crimine jura carent.
Me tibi committens, tuus oro mitius in me
Quam meritum nostri postulet ensis agat.
Flectitur hac humili prece, quem non mille talenta [o],
Nec Summi potuit flectere carta Patris. [p]
Imperio postquam jurans se subdidit, inquit,
Vivat in æternum lux mea liber ero.

baret, vanum imputati criminis auctorem ad singulare certamen, pro illorum temporum recepta consuetudine, provocat.

o *Flectitur - - quem non mille talenta.*] Non tamen sine redemptionis pretio evasisse Regem, *Otto de S. Blasio* citatô locô apertè declarat: „ Imperator itaque captum Anglorum Regem audiens, missis ad Ducem nunciis Regem
„ sibi præsentare jussit, præsentatumque Wormatiam asportari, vinctum ferroque
„ onustum præcepit, dans sibi induciis deliberandæ redemtionis: ad quem multi
„ suæ terræ majores visendi gratia venerunt, & diversas rerum species Domino suo
„ obtulerunt. Itaque pro captivatione peregrini Regis *Leopoldus Dux à Summo*
„ *Pontifice excommunicatus*, ne simili ausu peregrini sancti sepulchri à quoquam
„ impetiti, à subventione transmarinæ Ecclesiæ deterrerentur. Tandem datis in
„ redemptionem suam Imperatori multis millibus centenariorum auri & argenti,
„ nec non & Duci Leopoldo auro & argento pro libitô collato, eisque pacê & re-
„ conciliatione sacramento ab eo firmata, captivitate exuitur, sicque multatus
„ rediit in terram suam.

p *carta Summi Patris.*] Pontificem id factum Leopoldi Ducis iniquo animo tulisse, ex supra ab *Otthone de S. Blasio* allatis, intelligitur.



DIOPULDUS

aggrediens

SCM. GERMANUM,

Equum ſuum à tribus Ruſticis digladiatum amiſit, & villam viriliter cepit.

INtereà Dipuldus ovans armenta capiſcit *q*,
Virtutis ſequitur gratia diva virum.
Caſtra ſuperba cremat, capit oppida, territat urbes,
Ad Tancridinam quæ rediere fidem.
Sub pede montis adeſt uberrima villa Caſini,
Quæ nec paſtori credere cauta fuit.

Hanc

q *armenta capiſcit*,] Lege *capeſſit*, etſi inuſitatum ſit probis ſcriptoribus dicere *armenta capeſſere* pro *capere*, pervulgatum verò *capeſcere Rempublicam*, *pugnam*, *arma* &c. Non tamen hic diſſimulandum, veteres membranas *Biblioth. Publ. Bern.* cùm hæc vox occurrit, ferè ſemper ſcribere, *capeſcere*, uti & *Burerius* in Velleji Pat. Codice l. 2. c. 94. invenit, *capeſcere cœpit Remp.*

Hanc ferus invadens Dipuldus ab aggere dextro,
Dissipat instantes, ùt leo magnus, oves. r
Cujus ab agricolis circumdatus à tribus horum,
In triplici cultro digladiatur equus.
Stans pedes, ense pedes duros detruncat & armos,
Se fore Dipuldum clamat, & ense probat.
Ut trepidant volucres, Jovis in quas fulminat ales,
Ut lepus algescit, lapsus ab ore canis.
Non aliter gens illa timet victoris ab ense,
In Diopuldeo nomine victa cadit.
Subditur imperio sacrati villula castri,
Et facit invitam dextra coacta fidem.
Idem post modicum paucis comitatus alumpnis,
Exiit à Castro, sortis agebat iter. s
Illo fortè die propriam Comes ibat in urbem t,
Ibat in adversum sorte latente virum.
Ex hac Dipuldus, Comes ex hac obvius ibat,
Alter in alterius nescius ibat iter.
Ventum est ad faciem, fit clamor vocis utrimque,
Confractis sudibus tela reclusa micant.
Hic ferit, ille ferit, cadit hic, super hunc stat & ille
Dentipotens Comitem denique vicit aper.

Hic

r *ùt leo magnus, oves.*] Quintus Smyrn. l. 3. v. 496. eâdem comparatione utitur:

Οἵ τε πάρος φοβέοντο, λέονθ᾽ ὣς αἰόλα μῆλα.

i. e. Qui antea te fugerunt, ùt discolores leonem oves.

s *sortis agebat iter.*] Legendum puto *fortis:* non enim conjicere valeo, quid sit *sortis iter.*


t *Comes ibat in urbem,*] Est *Richardus* Acerrarum Comes prælio à *Diopuldo*, vel rectius à *Theobaldo* captus; de qua re vide paulo infra *Ottonem de S. Blasio.*

Sic Diopuldeos vir quisque suum ligat hostem,
1114 Captivosque ferunt in sua castra *u* viros.

u *Captivosquè ferunt in sua castra viros.*] Mirum, qui factum sit, ut post hunc versum secundus liber incipiat, cùm ab initio libri, nulla primi fiat mentio: verùm hujus loco statim in fronte ante primum versum *Dux ubi Roggerius Guiscardi clara propago*, legitur: *Incipit prima primi Regis Siciliæ particula:* quod incuriâ non tamen nostrâ sed Exscriptoris pro Indice præponere neglectum fuit.



Expli-



Explicit

LIBER PRIMUS,

Incipit

SECUNDUS.

UT pius armipotens fugat omnem lætus eclipſin,
    Reddit & Experios in ſua juſſa Deos. x
Imperat hinc puppes animoſus ubique parari,
    Nec mora quæ fiunt vix capit unda rates.
Marchio quinque minus transmiſit mille carinas,
    Auſtrinus totidem miſerat octo minus.

Turi-

x *Experios in ſua juſſa Deos.*]. Lege *Eſperios*, ùt ſupra *texta* pro *teſta*. ESPERII DII aut ſunt Italiæ Principes, qui redeunte cum validiſſimis copiis in Italiam Cæſare, partim armis ſubacti, partim verò in fidem accepti fuerunt; aut ex veterum conſuetudine ita loquutus eſt, qui urbem aliquam oppugnantes, nil prius neque antiquius putabant, quàm Deos illius urbis tutelares compoſitó carmine evocare, ut, relictis prioribus ſuis ſupplicibus ac clientibus, ad ſe transeant, pinguiora atque opima magis ſacrificia, ædes ſplendidiores, unò verbò rem magis auctam illis pollicentes; hoc ni factum ſit irritos omnes ſuos labores, vana ſua, quæ ſtatuiſſent, opera futura arbitrabantur. Inde *Tyrii*, cùm Alexander Magnus eorum urbem terra mariqùe obſidione cinxiſſet, ſimulacrum Herculis, cujus numini urbem dicaverant, aureà catenà devinxerunt. Curt. l. 4. c. 3.

P 3

Turineus centum feptem minus æquore claffes
Annumerat, Scavus non minus æquor arat.
Bavarus everfat centeno Remige Pontum,
Alfaticusque pari Remige fpumat aquas.
Ter quater octo rates portantes agmen equorum
Belgicus, & totidem linthea Saxo tulit. *y*
Mille rates, ter quinque minus, Pomeranicus armat,
Flandricus æquoreas fulcat amicus aquas.
Sex decies Ligur ventis dedit ampla fecundis,
Vela, Secolfaticus *z* per freta longa volat.
Mille viros ætate pares Burgundia mittit,
Mittit victrices Tufcia mille manus.
Mille quidem clipeos Jovis arma Suevia geftat *a*,
Mille faretratos magna Boëma viros.

Mille

y *lintea Saxo tulit.*] *Lintea* pro *velis*, & *vela* pro *navibus*.

z *Secolfaticus*] Quis *Secolfaticus* ille? ego *Holfatiæ*, Principem intelligo, qui, quoniam ex ultimis Germaniæ finibus copias fuas auxiliares Cæfari in Italiam transmiferat, non immeritò *per freta longa volaffe* dicebantur; adeò ut pèr *freta longa* intelligantur maria longinqua, longè ab Italia remota.

a *clipeos Jovis arma geftat*,] *Jovis arma* putabantur tonitrua, fulgura fed præcipuè fulmina, quæ hic, nifi valdè impropriè, in *Suevis* militibus locum habere nequeunt; melius fortè intelligitur invictum illorum robur, atque virtus, quâ veluti fulmine cuncta profternunt atque disjiciunt. Ego verò ad morem illum vetuftiffimum hæc verba refero, quô clypeis veterum Heroum varia cùm animalium tum aliarum rerum, imò ipforum quoque Deorum figuræ infculptæ fuerunt, unde etiam *Infignia* gentium atque familiarum hodiè *Arma*, Gallis etiam *les armes*, Germ. Waapen, & rectius Waaffen, dicta, originem fuam traxerunt. Quem morem jam in Cana atque ultima antiquitate, Trojanorum quippe temporibus, obtinuiffe *Virgilius* l. 7. Æn. v. 57, 58. memorat,

Pulcher Aventinus, clypeoque infigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ferpentibus hydram.

Quæ ùt alia plurima imitatus eft *Silius* Ital. l. 2. v. 158. &c.

Mille corruſcantes mittit Lotharingia criſtas,
Mittit & ignivomas Anglia mille manus.
Mille Polona viros nitidis præſentat in armis,
Francia mille boum bellica terga tulit.
Mittit Silvicolæ Brabantia tela Dianæ,
Baliſtas lectos Friſia mittit humus.
Bis duodena Ducum ſuperum ſol regna vocavit *b*,
Per mare per terras numina Cæſar habet.
Lætus in Apuliam properat, primoque Salernum
Appetit *c*, urbs meritô depopulanda ſuo.

Vul-

Centum angues idem Lernæaque monſtra gerebat
In clypeo, & ſectis geminam ſerpentibus hydram.

In hanc ergò ſententiam capienda authoris verba: Suevos clypeos, *armis Jovis*, id eſt fulmine inſignitos, geſtaſſe.

b *Bis duodena Ducum ſuperum ſol regna vocavit*,] Niſi legas *Sal*, de omni verſûs ſenſu actum eſſe videtur. *Sal ſuperum* eſt *Mare ſuperum*; ad cujus oram maritimam expugnandam variarum gentium atque regnorum Duces convolaverant. Vel quod demum mentem meam ſubit, *Superum ſol* duplici ſenſu tolerari poteſt, ſi accipias gignendi caſu *Superûm* i. e. *Superorum*, ſive *hominum*, ut aut opponantur inferorum ac demortuorum Manibus, aut quia ſuperant adhuc, ac vitali aurâ fruuntur, & ſuperſtites ſunt, ita dicti; vel *Superûm ſol* i. e. Jupiter, ſive Deûm hominumque Pater & Rex, quô invidendô nomine ſæpius à *Petro* noſtro *Henricus* appellatus fuit; quôcunque verò modô accipias, hic ſenſus emergit: Cæſarem *Henricum* viginti quatuor diverſos populos ac regna, ſuo quæque Principi parentia, ſibique cùm ſocia tùm juri ſuo ſubjecta, ad bellum *Tancredo* inferendum, concitaſſe.


c *Lætus in Apuliam - - Salernum appetit*,] Hanc, iteratâ Henrici in Italiam expeditione, variorum locorum factam expugnationem, malo veterum Hiſtoricorum quàm meis verbis exponere: *Ottho de S. Blaſio* cap. 39. *Eôdem annô* (1193.) *Henricus Imperator contractô exercitu ſecundâ vice Alpes tranſcendit, & in Campaniam arma convertit, in quô itinere Richardum de Scerre Comitem ditiſſimum* (is eſt Richardus Acerrarum Comes, qui plurima mala in domum Cæſaris intulit; ideoque eò magis hæc *Blaſii*, de miſerando ejus exitu, verba inſerenda duxi, quod *Ebulo*, ob rationem inferius adferendam, nihil de illius morte memoret,

Vulneris elapsi memor est quandoque cicatrix,
Qui spuit in cœlum polluit ora sui.

ret) *à Theobaldo de Reggatart captum sibique præsentatum, apud Capuam patibulo suspendit, capite deorsum verso. - - Deinde omnes civitates Campaniæ Apuliæque aut expugnatas destruxit, aut in deditionem accepit, inter quas præcipuè* SALERNUM, *Barletum, Barram* &c. Cum hoc congruit *Chronicon Fossæ Novæ,* licèt in anno dissentiat: An. 1194. *Imperator præparato magnò stoliò* (i. e. Classe, à Græco στόλος) *per mare misit in Siciliam, ipse cum magnò exercitu per terram veniens, Campaniam applicavit - - postea ivit* SALERNUM, *& fecit magnam partem murorum diruere, & omnes homines, quos ad manus potuit habere, captivavit, & totam civitatem expoliavit, pro vindicta uxoris suæ, quam dederat Regi Tancredo, & sic transivit in Siciliam.*



Haud





Haud procul armipotens *d*, venit Archilevita Salernum,
Cum quo tui nomen *e* Guarna Philippus erat.
Sic ait, ô Cives ego sum qui multa laborum
Pondera portavi, multa timenda tuli.
Nunc redeo salvare meam, si creditis, urbem,
Credite Concivi, credite, vera loquor.
A Domino factum est, pro vobis exul ut irem,
Joseph nunc vobis pacifer alter ero.
Peccastis graviter, peccatum noscite vestrum,
Nam mens fessa sibi *f* grande relaxat honus.
Jam propè Cæsar adest, jam Cæsaris arma coruscant,
Jam vexilla micant, jam sua signa tonant.

Mit-

d *Haud procul armipotens &c.*] Cùm haud procul à *Salerno* Cæsar omnia latè igne ferroque depopulatus esset, ad ipsam urbem *Salernum* victricia arma iratus convertit, quam tamen Episcopus *Salernitanus*, Cæsarem in Germaniam & nunc quoque ejus castra sequutus, antè ingressus est, ut cives suos oratione ad anteactorum pœnitentiam adduceret, illisque persuaderet, veniam à Cæsare supplici ore precibusque non fictis expetere.

e *Cum quo tui nomen &c.*] Interpunge & lege: cum quo, *cui nomen Guarna Philippus*, erat. Quis verò ille sit, nescio.

f *mens fessa sibi*] Leg. *fassa.* i. e. Quæ non solùm sibi sceleris sui conscia est, sed & illud ore cordeque suo fatetur; ad severam *Catonis* regulam, *qui sibi atque animo suo nullius unquam delicti gratiam fecit.*

Q

Mittite de veſtris, qui dicant, reddimus urbem,
Subjacet imperio phiſica terra *g* tuo.
Parce tuis ſervis, non pœna, ſed nece dignis,
Quæ poterit noſtrum pœna piare ſcelus?
Ad veniam credo flectetur more tonantis,
Vobiscum faciens absque rigore pium.
Ut Nazarenus Deus à Patre natus in orbem
Venit, in humano tegmine factus homo.
Ipſe quidem tota cum majeſtate futurus,
Pro meritis judex omne piabit opus.
Sic meus armipotens *h* primò pius atque benignus,
Nos adiit, ſed nunc ùt grave fulmen adeſt.
Jam non multa loquar, quia jam Nuceria ſentit *i*,
Quæ loquor, urbs veſtra mane videbit idem. *k*


g *phiſica terra*] Quid per *phyſicam terram* intelligat, aut cur Salernum ita vocitet? haud facile conjectu eſt: Ego ita cenſeo, *Salernum* ita vocari, reſpectu civium, quia eſſet eorum patria, & natale ſolum, à Græco φύω vel φυτεύω derivatum, uti apud Euripidem in Alceſt. v. 290. Pater vocatur ὁ φύσας, & v. 294. ib. dicitur, ἄλλα φυτεύσειν τέκνα i. e. alios geniturum liberos.

h *Sic meus armipotens* &c.] Cæſar meus prius urbem noſtram amicè benigneque inviſit, & uxorem ſuam noſtræ fidei credidit, nunc autem, ni ſeriâ pœnitentiâ eum antevertatis, ob malè facta omnem iræ atque ultionis ſuæ tempeſtatem in vos effundet.

i *Nuceria ſentit*,] Intelligit *Nuceriam* Campaniæ, nam & aliæ cognomines urbes in Italia erant.

k *Quæ loquor urbs - - videbit idem.*] Poſt hunc verſum, qui ultimum paginæ locum occupat, *Bongarſius* ſua manu adſcripſit: *Il y a du deffauſt en c'eſt endroit, car la ville de Salerne fut priſe.* Certè hiatus in codice non ſolùm in Hiſtoria, quæ manca hic eſt, apparet, nihil enim de *Salerni* expugnatione, nihil de morte Tancredi memorat, & in ſequentibus ſtatim à devictâ jam *Sicilia* ordîtur; ſed etiam deploranda veſtigia duarum reciſſarum paginarum remanent, quæ multum damni, multumque deſiderii illorum temporum hiſtoriæ cupidis reliquerunt.

Interea





INterea Siculis solo terrore subactis,
Dux ratis Augustæ Cæsaris urget iter.
Ut properet, scribit, quia jam Trinacria victa est *l*,
Quod puppes profugô Rege redire rogant. *m*
Jam satur à miseræ spoliis exercitus urbis,
Fastidit victa, victor in urbe moras.
Mane datô signô, tunc Calandrinus in alto,
Militiæ socium circuit agmen equo.
Imperat, ut properent, tutum est properare Panormum,
Nec mora Teutonici jussa jubentis agunt.
Est data Dipuldo renovandi cura Salernum *n*,
Nec non totius tradita jura soli.

Vir

l *Dux ratis Augustæ - - Trinacria victa*] Dum Cæsar in Apulia & Salernitana aliarumque urbium expugnatione moratur, classem ex tota fere Europa contractam in Siciliam præmiserat, ipse verò, si in Italia debellatum esset, cum exercitu suo in Siciliam transmittere decrevit: Id cùm ex voto successisset, & Præfectus classis solò terrore Cæsariani nominis totâ Insulâ potitus esset, litteras ad Cæsarem misit, ut ipse subsequatur, & Siciliæ imperium capessat.

m *puppes - - rogant.*] Classiarii milites, vel potius præfecti, quorum ibi magna multitudo erat, devictâ Siciliâ, petunt, ut ipsis in patriam reverti liceat; tantò magis quòd Rex *Guilelmus*, nam *Tancredus* pater ejus jam mortuus erat, profugisset.

n *renovandi Salernum*,] Muros & ædificia diruta reficiendi.

Q 2

Vir puræ fidei, vir magni nominis, omnis
Militiæ titulus, imperiale decus. *o*
Quem nec promiſſum numeroſi ponderis aurum,
Movit, nec potuit ſollicitare timor.
Hoſtibus in mediis quam plurima caſtra ſubegit,
Egregius, alacer vicit in enſe viros.
Cujus virtutis præconia vidit Aquinum,
Quo vicit victor milia quinque virûm.
Vera loquar, falſumque nichil mea Muſa notabit,
Nec mea Romanas fiſtula fallet aves.
Quodam fortè die veniens Dipuldus ab Archi *p*,
Colligit in multos fulmifer arva ſinus,
Innumeras prædatur oves, capit agmen equorum,
Agricolas multos, & juga mille boum.
Quæ venale genus factum vice Paſtor agebat,
Heu heu Dux prædæ vile lupanar *q* erat.

Cùm

o *Vir puræ fidei - - Imperiale decus.*] Hic Dipuldus, quem *Ottho de S. Blaſio* ſupra cit. vocat *Theobaldum de Reggatart* erat Marchio Imperii Romani, vir acer, ſtrenuus, & rei militaris adprimè peritus; cui Cæſar ob egregia merita, quæ ei in hac & ſuperiori expeditione præſtiterat, & *Salernitanum* Principatum, & *Richardò* Acerrarum Comite ſublatò, illius Comitatum dono dederat. vid. *Richardus de S. Germ.* ad annum 1197.

p *veniens Dipuldus ab Archi*,] Erat Caſtrum Apuliæ longè munitiſſimum, quod Theobaldus cum præſidiario milite tenebat, etiam eò tempore, quò res Cæſarianorum retrolabi viderentur; inde *Richardo de S. Germ.* apud Caruſ. vocatur *Caſtellanus Roccæ arcis.* p. 549.

q *Dux prædæ vile lupanar*] Quid hæc verba ſibi velint, docet à latere poſita figura, tres enim meretrices, elatis in altum pedis paſtoralibus, armenta atque pecorum gregem ante ſe agunt, ſupra quarum capita hæc leguntur: *Meretrices ducunt prædam.*

Cum victor tandem castrum saturatus adiret,
Spectat in adversum millia quinque viros.
Qui prædam certare parant, stringuntur in arma,
Et tamen expositos Guido retardat equos. *r*
Tunc Dipoldus ait, michi sors quod sera videris,
Hoc mens, hoc animus, hoc mea vota petunt.
Me probet esse virum contra, quicunque coruscat,
Ex hinc ad socios talia verba dedit.
Nec vos aspectus numerosi terreat hostis,
Femineos tellus parturit ista viros.
Ad speculum natos effeminat umbra quietis,
Quos alit in teneris dulce cubile rosis.
Hi Tancridini, sumus & nos Imperiales,
Hi pecudes, sed nos dicimur esse sues.
Sus agat in pecudes, & eas & vellera portet,
Audaces sequitur sors bona *s* sæpe viros.
Hactenus innixus clipeo, commissus & hastæ,
Dum ferit eversos terga ferire pudet.
Mille viros flexa procer unus inebriat hasta,
Et ligat & tondit mille vir unus oves.

Mille

r *Guido retardat equos.*] Et hæc ex eadem figura explicanda, ubi ingens equitum turma comparet, quam alia laxatis equorum frenis insequitur; supra priorem hæc verba leguntur: *Guido de Castello veteri volens prædam eripere in fugam versus est:* Supra alteram priori turmæ instantem, *Diopuldus.*

s *Audaces fors bona sequitur &c.*] Virgilianum est, *Audentes fortuna juvat*, lib. 10. Æn. v. 284. ad mentem *Catonis* apud Sall. in B. Cat. c. 52. *non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo, benè consulendo prospera omnia cedunt.*

Nec tango, quod Neapolim devicit inermis,
Quod loquar expertum terra Laboris habet. †

† *Nec tango - - terra Laboris habet.*] i. e. Non illa nunc attingo, quæ ad *Neapolin* gessit: quæ hic *Ebulo* Theobaldo, id *Richardus de S Germano* ipsi Henrico tribuit p. 551. *Henricus - -* TERRAM LABORIS *ingrediens, Neapolim recipit, Salernum sibi renitentem vi cepit, ac suis dedit in direptionem ac prædam.*



SERE-



SERENISSIMUS
IMPERATOR HENRICUS
FABARIAM veniens, Nuncios ab Urbe PANORMO recepit.

INtereà Cæſar ſuperatô Calabre totô *u*,
   Venit ad inſanas indubitanter aquas.
Claſſibus expoſitis, furioſas transfretat undas *x*,
   Poſt hæc Meſſanæ paulò moratus abit.
Fabariam veniens Socerum miratus, & illam *y*
   Delectans animos nobile laudat opus.
Legati quem præveniunt ex urbe Panormi,
   Debita commiſſæ verba ſalutis agunt.

Expo-

u *ſuperatô Calabre totô &c.*] *Ottho de S. Blaſio* c. 39. *Itaque tota Apulia cum Campania in provinciam redacta, in* CALABRIAM *& Siciliam copias tranſpoſuit.* ubi rectius legeretur, *per Calabriam in Sic.*

x *inſanas aquas - - furioſas undas,*] propter infames illos ſcopulos *Scyllam & Charybdin*, qui navigantibus ſunt periculoſi.

y *Fabariam - - Socerum miratus &c.*) *Rogerium*, Conſtantiæ patrem intelligit, qui Fabariam ædificiis ornavit, & inter cætera inſigne aliquod opus, quod ob artem atque pretium omnium oculos atque mentes, ſed præcipuè Henrici, in admirationem traxit, extruxiſſe videtur. Laudat ergò Cæſar & *illam*, nempè *Fabariam*, & illud *nobile opus*, quod tantum inter alia illius urbis opera caput extulit.

Quantum lenta ſolent inter Viburna cupreſſi.

Exponunt animos populi, mentesque ſerenas,
Affectum juvenum, propoſitumque ſenum.
Ore ferunt uno, tu ſol, tu lumen in orbe,
Tu ſpectata dies, qui ſine nocte venis.
Tu regni tenebras, armatâ luce fugabis,
Diſcutiens lites copia pacis eris.
Qui mundum ſub pace ligas, qui bella coherces,
I nes ita qui z Regum ſub pede colla teris.
Quis Rex, quis Princeps, quis Dux tua juſſa recuſat?
Quis valet armato Cæſare bella pati?
Nam ſervire tibi mundo regnare videtur,
Major in hoc magno Cæſare a Cæſar eris,
Heu profugus noſtram dimiſit Regulus urbem,
Radicem colubri CATABELOTTUS b alit.

Cæſar

z *I nes ita qui &c.*) Quis usquam Hariolus divinare poſſet, quid hæc verba valeant? etſi verò legas *nos*, nullus tamen inde ſenſus emergit, niſi hic ſed planè coactus: *Nos noſtraque colla ita premis ut aliarum Gentium & Regum*; hoc enim Tyrannum argueret; at mollius interpretare verba: *Nos noſtrosque tua commendamus fidei, in nos ſolus exerce omne imperium: in cujus rei ac ſinceri noſtri animi, Numini tuo devoti, teſtimonium, nos coram te in terram ad pedes tuos proſternimus, quibus, ſi libitum fuerit, colla & cervicem noſtram calcare poteris*; & hoc etiam figura adjecta velle videtur: in qua Imperator ſellæ Regiæ inſidet, & duo *Panormitanorum* legati, flexis genibus libellum ei ſupplices porrigunt. Majori id quidem jure in defectores & ſeditioſos facere potuiſſet Henricus, quam olim Alexander Pontifex in Fridericum Henrici patrem, quæ tamen hiſtoria omnis fabulæ adfinis eſt.

a *Major in hoc magno Cæſare &c.*) Servire tibi, ea demum libertas eſt, quid dicam *libertas?* imperat, regnat, dominatur, qui tibi ſervit; & in hoc invictum aliàs & magnum illum *Julium Cæſarem* ſuperas, qui enim illi ſerviebant, inviti, coactique & quaſi reluctantes, grave illius ſervitutis jugum ſentiebant, quod datâ occaſione excutere, palam præ ſe ferebant.

b *Radicem colubri Catabelottus*) Erat validiſſima turris vel caſtrum, in quod ſe *Wilelmus* Rex cum fidiſſimis ſuorum conjecerat: huc pertinent *Chronici Foſſæ*

Novæ

Cæsar ubi tantæ fidei legata recepit,
    Pace triumphali mandat in urbe frui.
Protinus edictum sonat Imperiale per omnes
    Ne quis præsumat, undè quærela venit. *c*
Et pedes & miles cautè Pomeria servent,
    Cæsaris adventus nulla virecta gravet. *d*
Hæc postquam præco clamandô circuit agmen
    Urbem pacifico milite Cæsar adit.

Novæ verba pag. 74. Collect. Caruf. T. 1. *Mense Decembri* (anni 1194.) *cum multis falsis promissionibus recepit* Panormum, & Palatium, & cum multis fallaciis & *deceptionibus & sacramentis abstraxit Regem Rogerium* (in hoc falsus est author, *Rogerius* enim jam ante Tancredum mortuus erat) *de castro* CATABELLOTE, *ubi ipse securè & abundanter in divitiis & cibaliit permanebat.* Non tamen hic silentiò prætereundum est, figuram, modò memoratam, exhibere quatuor castella, quibus singulis sua nomina adscripta sunt: CATABELLOT, BICARIM, CATABUTUB, CALATAMET.

c *Ne quis præsumat - - querela venit.*) Ne quis tale facinus audeat, de quo jure aliquis conqueri possit; posteriores scriptores semper in malam partem hoc verbum acceperunt. *Eutropius* l. 2. cap. 1. Præsumpserunt *tamen Tribuni militares - - iterum dignitatem*, i. e. contra omne fas & voluntatem populi atque senatus potestatem suam Consularem denuò invaserunt. Salvianus l. 3. de Gubern. *non omnes passim intrare* præsumunt, *nisi quos aut judex vocaverit, aut negotium traxerit.*

d *Cæsaris adventus nulla virecta gravet.*) Disjunge, *vi recta;* ac sensus erit: Cæsar cum copiis suis militaribus *Panormum* veniens, nemini recta bonaque agenti, erit molestus, nullus vim nullus injuriam patietur, sed potius ùt faustum sidus, omnibus propitius atque salutaris affulgebit.





HÆc ubi Tancredi miferi miferabilis uxor
Refpicit, ùt glacies manè novella rigat.
Membra cruor, calor artus, fpiritus offa reliquit,
Vix à femineis eft recreata viris.
At poftquam fumpfit dubias in pectore vires,
In lacrimas oculos folvit amara fuos.
Brachia jactat humo, quos læferat aufa precari
Sanctos, nec Paulus, nec Petrus audit eam.
Colligit inmeritum *e* perjuria multa mariti,
Et cædes hominum nequitiæque genus.
Caufatur *f* fua gefta prius, caufatur & inde
Perjuri tociens impia facta viri.
Sic ait, ô utinam Lichio commiffa manerem,
Terrerent animos prælia nulla meos.
Vir michi forfan adhuc fupereffet, & inclita proles
Nunc Lichium triftis orba duobus eo. *g*

Vidiffet

e *Colligit inmeritum*) Divide *in meritum*, i. e. quid ob perjuria & malitiam mariti merita fit, fecum reputat.

f *Caufatur*) Accufat: aliàs apud idoneos fcriptores fignificat, *prætexit*, *culpæ fuæ prætendit.*

g *Nunc Lichium triftis orba duobus eo.*) Cùm *Wilelmus* in arce *Catabelotta* cum matre fe claufum teneret, Henricus de loci, & arte & naturâ munitiffimi, expugna-

Vidisset nunquam visus Trinacria nostros,
Nunc michi desertæ dos mea tuta foret.
Quam citò falsus honor nos deserit, & fugit omnis,
Ut nova furtivus bruma liquescit honor.
Ardeat in medio Vice-Cancellarius orco *h*,
Qui fuit exitii sedula causa mei.
Quantum nequitiæ, quantumve tirannidis ausus,
Vir meus, in pœnas hæc tulit hora meas.
Hei michi quid prodest, quod Rex tulit Anglicus aurum,
Hei michi quid prosunt, quæ tibi Roma dedi. *i*
Thesauros exausta meos succurre relictæ
Auxilium perhibe si potes ipsa michi.
Cur tua carta virum tibi dantem dona fefellit,
Hen tuus ægrotus regnat *k* & arma tenet.

Mortuus

expugnatione diffidens, ad artes, tantò Principe indignas, se adplicuit; pactum enim, solenni jurejurando confirmatum, inibat, quò *Wilelmo* Tarentinum Principatum, matri verò *Licbii* Comitatum promittebat. Vid. *Gesta Innocentii* ad annum 1194. nihil autem illorum, quæ liberaliter pollicitus fuerat, præstitit; sed de hòc paulò infra pluribus agetur. Orbata autem per mortem fuerat, & *Tancrodò* maritò, & *Rogeriò* filiò.

h *Vice-Cancellarius orco*,] *Matthæus*, qui opportuna morte, pœnam, factis suis condignam effugit; id enim indicare videntur, & ipsa hæc *Sibiliæ* verba: & silentium Poëtæ nostri, apud quem nulla porro de *Matthæo* fit mentio, cujus triste fatum, si superstes fuisset, non prætermisisset; &, quòd ejus nomen inter eos, qui contra Cæsarem conjuraverant, non occurrat, quippe qui haud dubiè se socium criminis illis addidisset.

i *quid prosunt, quæ tibi Roma dedi.*] *Richard. de S. Germano* p. 547. *Tancredus Comes Licii* ROMANA CURIA *dante assensum, est per ipsum Cancellarium coronatus in Regem.* Sæpè aliàs *Ebulo* Pontificem acriter perstrinxit, quod se largitionibus à *Tancredo* corrumpi passus sit, sic statim infra: *Cur tua carta virum tibi dantem dona fefellit.*

k *Hen tuus ægrotus regnat*] Henricus *Neapolim* circumsidens, morbo gravi

impli-

Mortuus hen vincit, tuus æger in urbe triumphat,
Sic tua decepit littera falsa virum.
Hei michi nec tutum est Romanæ credere puppi,
Quæ quas insequitur has imitatur aquas. *l*
Nec michi Græca Nurus *m* prodest dulcissime fili,
Quam nec adhuc visa fronte Philippus amat. *n*
Ergò quod est tutum veniam summissa precabor,
Effundens lacrimas Cæsaris ante pedes.
Singultus, lacrimæ, gemitus, suspiria, fletus,
Hæc vir & hæc proles, hæc michi frater erunt.
Pro me pugnabunt, pro me Dominumque rogabunt,
Plus facient lacrimæ, quàm tela mea michi.
Plus poterit pietas, quàm milia mille quiritum,
Plus prece, quàm telis Cæsar habendus erit.

implicitus fuit, quare tùm coactus fuerat, obsidionem solvere, & in Germaniam, ad reficiendas exercitûs sui vires, reverti; quô casu omnes *Tancredini* effusè lætabantur, seque nunc certos solosque rerum Dominos existimabant.

l *Quæ quas insequitur has imitatur aquas.*] Romanus Pontifex mari *Siculo* similis est, in quo modò Halcyonia sunt, modò incumbente graviori vento sursum deorsumque miscetur; ita & ille, se primò nobis, pretiò redemptus, facilem, blandumque præbuit, mox verò, adventante cum exercitu Cæsare, illius partibus se levis adjunxit, nosque pro viribus suis insequutus est.

m *Græca nurus*] Rogerius Tancredi filius *Irenen* Constantinopolitani Regis filiam duxit uxorem.

n *Quam - - Philippus amat.*] *Philippus* Henrici frater, & post eum Imperator Romanus creatus; Henricus, ùt ait *Ottho de S. Blasio* cap 44. *Mortuò fratre Cunradò Philippo, fratri suo, qui in Sicilia interim cum eo manebat, data sibi sponsa sua, filia Constantinopolitani Imperatoris, Ducatum Alemanniæ concessit, ipsumque cum eadem sponsa sua in Germaniam destinavit.*





Postquam questa sui lacrimabilis omina fati,
    Ad Lichium veniam poscit itura suum.
Impetrat & supplex nato veniamque Nepoti o
    Inde triumphantem suscipit aula Ducem.
Regia lætatur, tenebrarum nube fugatur,
    Exultans jubilos promeruisse dies.
Cæsar ut accepit sceptrum regale potenter,
    Multiplicat Carolis nomen & omen avis,
A vitiis mundat sacrata palatia Regum,
    Et Saturninos excutit inde dolos.
Et Jovis & magni tempus novat Octaviani,
    Integra sub nostro pax Salomone redit.

Quæ

o *Ad Lichium veniam - - veniamque Nepoti*,] Inter deditionis leges, & hæc erat, ut Guilelmus *Tarentinorum* Principatum, mater verò ejus *Licii* Comitatum obtineret: verùm illaudabili exemplò usus, fœderis tabulas fregit. *Richardus de S. Germ.* p. 552. paucis hanc *Henrici* perfidiam expedivit: *Imperator ipse securitate præstitâ recipit eam* (Tancredi uxorem) *& filium ad manus suas, quos Muscancervelli custodiæ tradidit, & ex eis fecit suæ beneplacitum voluntatis.* Luculentius verò & ad historiam explanatius *Otto de S. Blasio* cap. 41. FILIUM *Tancredi Regis adhuc puerum in Rhetiam Curiensem perductum, oculis privari, & in castro Amiso, perpetuæ captivitati addictum, custodiri præcepit - - Reginamque Apuliæ uxorem Tancredi* SIBILIAM *nomine, filiamque ejus apud Monasterium Virginum, Hohinburch dictum, in Alsatia custodiæ mancipavit.*

Quæ ſub Tancredo dudum defuncta manebat,
Cæſare ſub noſtro vivida facta viget.
Cæſaris invicti pax nobis exit ab armis
Noſtra ſtat in nudo Cæſaris enſe ſalus.
Putiſares omnes claves *p* & ſcrinia portant,
Adſignant quasquas fiſcus habebat opes.
Theſauros numerant, quos vermis araneus ille
Hauſerat, & fruſtra retia nevit apris. *q*
Primus neutrorum claves eſcriniat *r* omnes,
Alter Apodixas *s* explicat, alter opes.
Hæc quantum Calaber ſeu quantum debeat ater
Apulus, aut ſiculus debeat orbis habet.
Miratur Gazas, quas antiquiſſimus ardor
Sortis in incertæ grande. redegit honus.

Divitias

p *Putifares - - claves*] Leg. *Auriferas*; quoniam per illas Regales priorum Regum atque veterum Ducum Gazæ, aurumque & argentum reconditum recludebatur.

q *vermis araneus - - nevit apris.*] Quos theſauros *Tancredus* partim ipſe cumulaverat, partim ſervaverat, *Henricus* verò Imperator Romanus illos jure ſuo abſtulerat.

r *Primus neutrorum - - eſcriniat*,] *Maſculino* genere vocem *clavis* ſumſit, cùm alii *fœmininum* illi adſignent; quid autem ſit *primus neutrorum* neſcio; hoc ſibi velle videtur: prima clavis arcam illam aperit, in qua reliquæ omnes recluſæ jacent: & hàc voce *eſcriniare du* Fresnii Gloſſarium augeri poteſt, eſt autem illud, quod quivis facile intelligere valet, *aperire*, *recludere*.

s *Alter Apodixas*, &c.] Apodixa du *Fresnio* in h. v. eſt cautio de accepta pecunia, Gallis, *la Quittance*, idque *Cujacii* authoritate, & ſcriptorum teſtimoniis confirmat; hic autem videntur intelligi Litteræ, in quibus totius regni vectigalia ac reditus ſcripti continentur.


Divitias partitur eis, quos prælia nulla
    Terruerant bellô, nec renuêre mori. t

* * * * * * * * * *

t *nec renuêre mori.*] *Bongarſius* ſubſcripſit *timuere*, & in ima pagina ejuſdem manu hoc legitur, *en c'eſt endroit il y a quelque choſe obmiſe, car les Traitres conjurerent contre luy:* integra pagina deeſt, in qua omnis conjurationis ordo continebatur. Inſpicienda hic figura, quæ multum lucis hiatui huic adfert.



At





AT Deus impatiens fraudis ſceleriſque nefandi,
Publicat in lucem, quod tegit archa nefas.
Nam nichil admittit felix fortuna ſiniſtrum,
Nec poſſunt quod obeſt proſpera fata pati.
Hæc tria felices comitantia Cæſaris actus,
Quam benè diſpenſant, ſors bona, fata, Deus. u
Conſcius archani quidam ſecreta revelat x,
Et docet inſidias enumeratque viros.
Detegit & ſcriptum nocturnâ lampade factum,
Quod docet in Caypha præſule poſſe capi.

O ſtu-

u *ſors bona, fata, Deus.*] Non ex præceptis *Chriſtianæ* doctrinæ, ſed ex profanorum Philoſophorum hæc hauſta ſunt lacunis. Quid enim aliud ſunt, ſors & fata, quam æterna Dei voluntas & decretum, quod per varias temporum viciſſitudines explicat, nobisque antea incognitum pro ſua ſapientia pandit.

x *Conſcius archani quidam - - revelat.*] Monachum fuiſſe, qui conjurationis inſidias primus detexit, figura adjecta docet. Nihil aperti hic Itali ſcriptores de conjuratione illa memorant, niſi fortè authoris *Chronici Foſſæ Novæ* p. 74. verba huc adplicentur: *Hôc annô (1195.) Imperator Henricus per Sacramenta decepit Regem, & omnes Comites, & poſuit eos in vinculis, & in ergaſtulis; & omne aurum & argentum, quod de regno ad manus habere potuit, congregavit, & per terras & per mare in Alemanniam miſit, & ipſe per terram reverſus in Alemanniam, deducens ſecum ligatos Regem & Comites, & quamplurimos alios in captivitatem.*

O ſtupet armipotens famulos iratus iniquos,
Ducit & in dubiam verba relata fidem.
Poſtquam certa fides ſuper his datur, indice ſcripto
Conjuratorum diſſimulatur opus. y
Curia contrahitur, reſident in jure vocati,
Quisque ſibi dubitans, multa timenda timent.
Jamque ſilere dato, ſolio redimitus ab alto z
Exolvit querulo Cæſar in ore moras.
Quis pro pace necem, vel quis pro munere dampnum,
Aut quis pro donis dampna meretur, ait.
Nec Chriſto Cayphas fecit, nec ſævius Anna
Quam michi conſcriptæ diſpoſuere manus. a

Proti-

y *Conjuratorum diſſimulatur opus.*] Inter Conjuratos etiam *Margaritam* quemdam fuiſſe, cùm ex ſuperiori figura, tùm ex *Ottone de S. Blaſio* cap. 39. apparet, qui etiam ad hanc conjurationem digitum intendere, atque luculentius *Italicis* Scriptoribus, qui ex odiò in Henricum eam diſſimulant, loqui videtur: „ Optimates „ ultimà deſperatione adacti, dolò occidendum Cæſarem deliberaverunt: & ut hoc „ conſequi valerent, ſe & omnia ſua poteſtati ejus dediderunt; quibus in fidem „ ſuſceptis, familiariterque habitis, dolum & inſidias eorum vincere ſtatuit: . . . „ Denique ſe detectos minimè putantes, ab Imperatore citati convenerunt ad eum: „ quos omnes captos, in vincula conjecit, & exquiſitis ſuppliciis affectos, miſerabiliter enecavit; Nam MARGARITAM Archipiratam potentiſſimum illius ter„ ræ Baronem, cum quodam Comite RICHARDO . . oculis privavit, & quem„ dam læſæ Majeſtatis convictum, pelle exutum, decoriavit: quemdam regno ad„ ſpirantem coronari, coronamque per tempora clavis ferreis transfigi præcepit; „ quosdam ſtipiti alligatos, piràque circumdatos exurens, crudeliter extinxit; quos„ dam vecte perforatos, ventre tenus humo adglutinavit &c.

z *redimitus ab alto*] Regio diademate, vel coronà caput circumdatus.

a *Quam mihi conſcriptæ diſpoſuere manus.*] *Conſcriptæ manus* ſunt convocati, congregati viri, uti hæc erat Romanorum vetus & ſolennis formula, ut ſenatores *Patres conſcripti* vocarentur: vel *conſcripti* hic intelligendi, quorum nomina Index *Monachus* Cæſari in litteris conſcripta obtulit, quæ etiam ſtatim ſubſequentia verba indigitant: *quosquos littera lecta notat.*


Protinus armiferis plenô jubet ore miniſtris,
Ut capiant quosquos littera lecta notat.
Qui citò mandatis implent pia juſſa receptis,
Infectos capiunt proditione viros.
Dampnatos ex lege viros clementia differt,
Et ſuffert pietas impietatis onus.
In condempnatos meritum ſententia tardat *b*,
Quo datur, ut vinctos Apula dampnet humus.
Quam Cæſar properans ex parte licenciat agmen,
Ne gravet urbanos maxima turba ſuos. *c*
Bavarus & Scavus, Lombardus, Marchio, Tuſcus,
In propriam redeunt Saxo, Boëmus humum.

b *meritum ſententia tardat*,] Sententia eſt: Cæſar non, uti meruerant, protinus pœnam nocentibus repræſentat, ſed ſententiam mortiferam in aliud tempus differt.

c *Ne gravet - - maxima turba ſuos.*] Ne tantorum virorum, quorum fama atque authoritas magna paſſim per Siciliam erat, ſuppliciis & *Panormitani* & reliqui *Siculi* exaſperentur, & ad odium erga Henricum concitentur; facilè enim conjicere poterat, horum mortem haud parvæ ſibi invidiæ fore, præſertim ſi in omnium conſpectu trucidarentur; inde ſatius duxit, eos ſecum in *Apuliam* vinctos ducere, ut ibi diriſſimas pœnas, quas jam animo ſuo illis deſtinaverat, ſubeant.



Venit





VEnit ab experta nativi palma triumphi
Per nova felicis signa parentis habens. *d*
Duxerat in gemitum præsentis secula vitæ,
Quod fuerat fructus palma morata suos. *e*
Serior ad fructus tantò constantior arbor *f*
Natificat tandem sicut oliva parens.
Cùmque triumphator nudis jam parceret armis,
Nascitur Augusto *g*, qui regat arma puer.
Felix namque pater, sed erit felicior infans,
Hic puer ex omni parte beatus erit.

Nam

d *Venit ab experta - - habens.*] Ad *Friderici* II. Henrici atque Constantiæ filii nativitatem hæc sunt referenda.

e *Duxerat in gemitum - - morata suos.*] i. e. Homines illius temporis ingemuerunt, quòd *Constantia* tam serò filium enixa fuerit, cujus partus toto orbi tam salutaris & faustus futurus esset, ut omnes vellent hunc filium citius in lucem procreatum fuisse.

f *Serior - - constantior arbor*] Intelligenda hic *Constantia* quæ jam natu major filium Fridericum peperit.

g *Nascitur Augusto,*] Annum natalem Friderici II. *Ebulo* his duobus versibus, in fine codicis scriptis, expressit:

Anno quinque minus numeratis mille ducentis,
Cæsar regna cepit, & sua nupta parit.

Nam pater ad totum victrici cuspide partes
Ducet, & imperium stare quod ante dabit. *b*
Hoc speculatus Arabs, & idem suspirat Ægyptus,
Hoc Jacob hoc Isaac à Daniele sapit.
O votive puer renovandi temporis ætas,
Ex hinc Rogerius, hinc Fredericus eris. *i*
Major habendus avis, fatô meliore creatus *k*,
Qui benè vix natus, cum patre vincis avos.
Pax oritur tecum, qui te nascente creamur,
Te nascente sumus, quod pia vota petunt.
Te nascente dies non cœli sidera condit
Te nascente suum sidera lumen habent.
Te nascente suis tellus honoratur aristis,
Suspecti redimit temporis arbor opes.
Luxuriant montes, pinguescit & arida tellus,
Credita multiplici sorte repensat ager.
Sol sine nube, puer nunquam passurus eclipsim,
Regia quem peperit solis in orbe dies.
A modo non timeam suspectæ tempora noctis,
Per silvas, per humum, per mare totus eo. *l*

Nam

h *imperium stare quod ante dabit.*] Priora illa aurea tempora reducet, quæ regnante *Rogeriò* fuerant, quibus *Siciliæ* regnum, utpote florentissimum, viguerat.

i *Ex hinc Rogerius*, - - *Fridericus eris.*] A matre tua originem ducis à *Rogerio* potentissimo Rege, à patre verò ex *Friderico Barbarossa* fortissimo Imperatore genus trahis, ac utriusque avi mores virtutesque ipse quoque olim imitaberis. Respexit hic quoque ad *Friderici* nomen, quod ei ab avo paterno maternoque fuerat impositum, vocatus enim erat FRIDERICUS ROGERIUS.


k *Major* - - *avis, fato meliore creatus*,] Avus ejus *Fridericus*, qui tot tantisque bellis districtus fuerat, sæpè cum adversa fortuna conflictatus est, ita tamen ut nunquam animo fractus fuerit, sed ferocior semper hosti suo institerit. Sed tandem Deô, nequitiæ hominum iratô, volente, in Ciliciæ flumine interiit.

l *per mare totus eo.*] Lege, *tutus.*

Non aquilam volucres, modò non armenta leonem,
Non metuent rapidos vellera noſtra lupos.
Nox ùt clara dies gemino ſub ſole dieſcit,
Terra ſuos geminos ſicut Olympus *m* habet.

m *Terra ſuos geminos ſicut Olympus*] Sicut in cœlo magna illa duo luminaria Sol & Luna orbem univerſum ſua luce colluſtrant, ita & Henricus cum filio, tanquam duo fulgentiſſima ſidera, ſuo lumine, ſuis copiis, ſuaque virtute fortiter & benignè cunctis mortalibus opitulabuntur.





RES rata quam loquimur, quidam præſentat Yberus
Piſcem, qui nato Cæſare dignus erat.
Quem puer accipiens benè diſpenſante magiſtrô
Dividit.
Piſce tripartito gemina ſibi parte retenta,
Quod ſupereſt patri mittit ab inde puer. *n*
Maxima venturæ ſignans præſagia vitæ,
Quod ſibi detinuit Veſper & Ortus erit.
Tertia pars quæ miſſa fuit, deſignat, in armis
Tertia pars mundi quòd ſit habenda patri.
Vive puer decus Italiæ, nova temporis ætas,
Qui geminos gemina merce reducis avos.
Vive jubar ſolis, ſol regnaturus in ævum,
Qui potes à Cunis luce juvare diem.
Vive Jovis proles, Romani nominis hæres,
Immo Reformator orbis & imperii.
Vive patris ſpecimen, felicis gloria matris,
Naſceris in plenos fertilitate dies.
Vive puer felix, felix genitura parentum,
Dulcis amor ſuperis inclite vive puer.


In

n *ab inde puer.*] Divina prorſus indole & ingeniô plus quam humanô *Fridericum* oportet fuiſſe, quod nondum bimulus, nam is anno 1195. natus, & pater 1197. mortuus fuerat, inuſitatâ infanti mentis ſolertiâ piſcem tripartitus, atque inde ſibi duas ſervaverit partes, & unam patri miſerit.

In media sine nube die tibi panditur Yris,
    Omnitenens medio sol stetit orbe suo.
Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,
    Ex Yri metas *o* sol videt esse tuas.
Vive puer, dum vesper erit, dum Lucifer ardet,
    Nunquam seu nusquam vespere dignus eris.
Vive puer dum litus agit, dum nubila ventus,
    Ut videas natis sæcula plena tuis.
Vive patris virtus, dulcissima matris imago,
    Vive diu dum sol lucet, & astra micant.
Vive diu Jovis & superûm pulcherrime Princeps,
    Vive diu proavus factus ad astra voles.

o *Ex Yri metas &c.*) Ego confidenter lego: *Exiri metas sol videt ecce suas.* i. e. *Fridericum* imperii sui fines ultra solis lunæque vias protensurum.





Incipit

LIBER III.

ad

HONOREM ET GLORIAM

MAGNI IMPERATORIS.


DEſine Calliope, ſatis eſt memoraſſe quod olim
Tityrus ad fagi tegmina duxit oves.
Deſine tu Pæan, celeberrima deſine Clio,
Sit mugiſſe ſatis commemoraſſe Jovem.
Non mea Calliopes, nec Apollinis ara litabit
Carmina, quæ pecudum quæ vorat exta litat.
Te peto, te cupio, ſummi ſapientia patris,
Quæ legis *p* æterna mente quod orbis habet.
Tu Pelagi metiris aquas, metiris abiſſum,
Te metuunt ſolam, te venerantur aquæ.
Tu patrii legis aſtra poli tibi ſervit Olympus,
Te ſine vita perit, te ſine nemo ſapit.
Nam quod ſol hominum Salomon dedit, indita *q* proles
Senſit ſeu meruit, creditur eſſe tuum.

Tu

p *legis*) Fortè leg. *regis.* & ſic quoque infra, *patrii regis* &c.
q *indita*) Leg. *inclita.*

Tu maſſam diſcepta rudem, tu litis amicæ
Primicias, certo conciliata loco.
Tu depinxiſti fatali ſidere cœlum,
Unde venit noſti Phœbus, & unde ſoror.
Nam quod friget yemps, ver viret, torret & æſtas
Siccitat autumnus, creditur eſſe tuum.
Quod breve litus aquas refrenat turbine motas,
Quod montes, quod humum, ſuſtinet unda, tuum.
Tu pudor æternus ſacraſti virginis alvum,
Tu fata, tu naſcens, tu genitura creans.
Theſauros aperi, veniens illabere cœlô,
Semper es ut verax, da michi vera loqui.
Tu divina loqui Petro poſt rete dediſti,
Ex uno per te flumina ventre fluunt.
Nec minor in partes diviſa, ſed integra conſtas,
Ut vis, & quæ vis dans tua dona tuis.
Hos genus eloquii, mentes interpretis illos,
Hos virtutis opus promeruiſſe facis.
Da michi cepta loqui, da ceptis fine potiri
Poſſit ut Auguſto Muſa placere ſuo.








FOrtunata dies, felix poſt tempora tempus,
    Quæ ſextum ſexto tempore cernit herum.
Ominis ætatis felicia tempora noſtræ,
    Propugnatorem quæ meruere ſuum.
Gaudeat omnis humus, tellus ſine nube dieſcat,
    Rorem ſpectati muneris aſtra pluant.
Mane ſerena dies venit, & ſerotinus imber,
    Imperium Cæſar ſolus & unus habet.
Jam redit aurati Saturnia temporis ætas,
    Jam redeunt magni regna quieta Jovis.
Sponte parit tellus, gratis oneratur ariſtis,
    Vomeris à nullo dente relata parit.
Nec fœcunda fimô, nec raſtris indiget ullis,
    Mater opum, pecori proſpera, grata viris.
Omnis oliveſcit phebeis frondibus arbor,
    Vix arbor partus ſuſtinet orta novos.
Nec roſa nec violæ, nec lilia gloria vallis,
    Marceſcunt, aliquo tempore nata ſemel.

Felix

Felix noſtra dies, nec eâ felicior ulla
    Lætior, aut locuples, à Salomone fuit.
Evomuit ſerpens virus ſub fauce repoſtum,
    Aruit in vires meſta cicuta ſuas.
Nec ſonipes Griphes, nec oves aſſueta luporum
    Ora timent, ùt ovis ſtat lupus inter oves.
Uno fonte bibunt, eadem paſcuntur & arva
    Bos, leo, grus, aquila, ſus, canis, urſus & aper.
Non erit in noſtris moveat qui bella diebus,
    A modo perpetuæ tempora pacis erunt.
Nulla manent hodiè veteris veſtigia fraudis,
    Qua Tancridinus polluit error humum.
Ipſaque tranſibunt deriſi tempora Regis,
    Nam meus Auguſtus ſolus & unus erit.
Unus amor, commune bonum, Rex omnibus unus,
    Unus ſol, unus paſtor, & una fides.








DIc mea Muſa precor genuit qui nobilis alvus
Henricum, vel quæ dextra cubile dedit?
Quæ Superûm nutrix dedit ubera, quis dedit artes?
Quis puero tribuit ſcire, vel arma viro?
Quâve domô genitus fuerit puer, aurea proles,
Quis pater, unde parens? Dic mea Muſa precor.
Eſt domus æthęrei qua ludunt tempora veris,
Ipſe domûs paries ex Adamante riget.
Ante domum patulo præludit ſole theatrum,
Quo ſalit in medio fons Arethuſa tuus.
Ipſa quater denis innititur aula columpnis,
In quibus imperii tota quieſcit humus.
Hic Corradus adeſt, juris ſervator & æqui,
Scribens edictum certa tributa legens.
Cancellos referans, mundi ſignacula ſolvens,
Colligit Italicas alter Homerus opes.
Nulla fames auri, ſitis illi nulla metalli,
Res nova, quam loquimur, mens ſua numen habet.
Diligit Eccleſiam, nec matrem filius odit,
Dux Evangelii, juris aperta manus.
Angelus in multos, nec non Paracletus in omnes,
Mittitur, & miſſi Pater in ore Deus.

Hic

Hic Marcualdus cui ſe Neptunus ad omne
    Velle dedit, cui Mars ſe dedit eſſe parens.
Illuc conveniunt ex omni cardine mundi,
    Dantes Auguſto plena tributa Duces.
Quos brevis abſolvit poſitis Apodixa *r* tributis,
    Quam tua Corrade Griphea ſignat avis
Hîc grave pondus Arabs, miſſi deliberat auri,
    Hîc Melechinas exhibet Indus opes.
Et decus & precium, gemmas dat Perſis & aurum,
    Materiam ſuperans mittit Ægyptus opus.
Argentum, gemmas, auri genus inclite Cæſar,
    Delicias hominum, quas habet orbis habes.

r *Apodixa*) Vide ſupra p. 134.







IN talamos ſex una domus partitur, & horum
Prima creatoris regia ſcribit opus.
Illic in ſpecie ſuper undas diva columbæ
Majeſtas operum pingitur ipſe Deus.
Altera fatiferum Cataclisſmi pingit Abyſſum,
Tertia fert Abrahæ credulitatis iter.
Quarta Pharaonem ſubmergens nudat Ægyptum,
Quinta domus David tempora Regis habet.
Sexta Fredericum divô depingit amictu,
Cæſarea ſeptum prole ſenile latus.
Hic Fredericus ovans in milibus undique fretus
Fervidus in Chriſto miles iturus erat.
Hîc erat annoſum multa nemus ylice ſeptum,
Non niſi per gladios ſilva datura vias.
In nemus omne furit ferrum, nemus omne favillat,
Fit via, quod dudum parte negabat iter.
Hîc erat in fide tua fallax Ungare dextra,
Qualiter invito te Fredericus abit.
Hîc Iſaac mentita fides, & fictile fœdus,
Illic Græcorum non ſine cæde dolus.

Hîc


Hîc obſeſſa polis [s], nec non plantata per annum
Vinea, Cæſareæ quam coluere manus.
Hîc Conii pinguntur opes, & bella ferocis
Hîc Frederici ades fulminat enſe procer.
Hîc pater arma tenet, ſubit illic filius urbem,
Pars prior Auguſto ſub ſeniore cadit.
At poſtquam Conii ſpoliis ſaturantur & aurô,
Caſtra movent, nec eis cura quietis erat.
Proh dolor ad flumen ponunt tentoria Tharſis,
Quo lacerat tumidas nans Fredericus aquas.
Suſpectas invenit aquas, qui raptus ab undis [t],
Exuit humanum, ſervit & ante Deum.
Vivit in æternum Fredericus, lancea cujus
Nunquam fraudato cuſpide verſa fuit.

s *polis*,) Supra ſcriptum eſt in cod. *Conſtantinopolis.*

t *raptus ab undis*,) Vide ſupr. p. 127.



Illic





ILlic diva parens ſuperûm Sapientia mater,
Uberis Henrico munera digna dabit.
Ipſa miniſtrantes ſeptem conventa ſorores
Ut puerum doceant officioſa rogat.
Prima loqui rectè *u*, docet, altera jurgia linguæ,
Tertia conditos reddit in ore ſonos.
Quarta quid aſtra velint cum viſa coire retrorſum,
Quinta docet numerum pro ratione legi.
Sexta gradus in voce ſuos docet impare cantu,
Septima metiri poſſe magiſtrat humum.
Suſcipit in gremio virtutum genera mater,
Ore virum, juvenem corpore, mente ſenem.
Quem virtus dilapſa Polo ſic poſſidet omnis,
Singula quod virtus aſſerat eſſe ſuum.
Hæc mores informat, & uſibus illa coaptat,
Hæc ſibi præjuſtum vendicat, illa pium.

Hæc

u *Prima loqui rectè &c.*) Horatius l. 1. Epiſt. 4. v. 7. ſeq. omnia complexus eſt, quæ puellum beatum reddere valent:

Quid voveat dulci nutricula majus alumno?
Quam ſapere, & fari poſſit, quæ ſentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abundè,
Et domus, & victus, non deficiente crumena?

Hæc ubi res poſcit, rigidum facit, illa modeſtum,
Lex quandoque poteſt de pietate queri.
Arma fatigarant ſuperos, quæ contulit illa,
Sic ſic æra rigent, arma quod hoſte carent.
Quod Numidos, quod Sarmaticos ſibi Roma ſubegit,
Unde redit Titan, nox ubi prima ſubit.
Magnus Alexander Darium quod vicit in armis,
Quod fuit imperio terra ſubacta ſuo.
Et quòd Pompejum Cæſar, patresque fugavit,
Unde Ptolomei crimen Ægyptus habet.
Nullus ei ſimilis, niſi proles, nemo ſecundus
Dîs meus Henricus æquiparandus erit.
Dicitur Henricus, latet hac in voce triumphus,
Quod latet, in partes littera ducta parit.
Certant virtutes, certatim munera præbent,
Creſcit in Auguſto gratia plena meo.
Intra quem gremium ſapientia dulce recepit,
Hæc os ore docet, pectore pectus alit.


* * * *


Sit licet immanis x commiſſi ſarcin * *
Hæc Auguſtali fit pietate minor.
Sic igitur ſervate fidem, ne ſera cicatrix
Vulnus in antiquum rupta redire queat.
Nam meus Auguſtus, qui lites diligit, odit,
Mites & puros more tonantis amat.

Ne

x *Sit licet immanis &c.*) Superior paginæ pars ferè dimidia malô fatô ablata eſt, hic verò verſus primus, tanquam incendiô ambuſtus evaſit; ita tamen ut ultimam ſuam vocem, penultimâ læſâ, amiſerit, priorem *ſarcina* legendam eſſe, dubiô caret, poſteriorem verò aliis inquirendam relinquo.

Ne quis ob exilium, quod dudum pertulit in ſe,
Elatus rediens civibus eſſe velit.
Cæſaris Oceanum ſuperat clementia magnum,
Et tamen illius commovet ira Deos.
Si quis Tancredum nimium dilexerit olim,
Quid niſi per vanas brachia movit aquas.
Vivit in Auguſto pietas & gratia creſcens,
Et gladius vindex, vivit & haſta potens.





SOL
AUGUSTORUM.

QUi regis ad placitum victor in axe rotas;
Fortunam tua dextra novam sibi condit ubique,
Ducis fortunæ quo tibi frena placet.
Legi quos veterum servant armaria libros,
Inveni titulis cuncta minora tuis.
Nec Salomon, nec Alexander, nec Julius ipse
Promeruit vestri quod meruere dies.
Sextus ab æquivocis sexto quod scriberis ævo
Signas ætatis tempora plena tuæ.
Vivat honor mundi, vivat pax plena triumphis,
Vivat & æterno nomine regnet avus.
Ut videas natis, plenumque nepotibus ævum,
Tempora Zodiaci dum rota Solis agit.
Suscipe quæso meum Sol augustissime munus,
Qui mundum ditas, qui regis omne solum.
Suscipe quæso meum lux indefecta libellum,
Ipse sui Vatis vota libellus agat.



INTERPRETATIO
hujus nominis

HENRICUS.

Collige primas litteras de primis dictionibus ſubſcriptorum verſuum, & nomen habebis Imperatoris, & de ipſis primis dictionibus ejusdem victoriam Imperatoris perpendere poteris.

HIc Princeps ùt habet Danjelis nobile ſcriptum;
EXALTABIT avos, ſubigens ſibi victor Ægyptum;
NOMEN in hærede patria virtute quieſcet;
ROMANI juris duplici Rogus igne caleſcet;
IMPERII formam templique reducet ad aſtra;
CUM non hoſtis erit, ſua ponet cum Jove caſtra;
VICERIT ùt mundum Syon David arce redempta;
SICILIAM repetens Romæ reget aurea ſceptra.





INclita regales criſpans Sapientia vultus
Aſpera fortunæ talia verba dedit.
Sit tuus Andronicus [y] ſaturatus cæde Nepotis,
Cui cruor Italicus potus & eſca fuit.
Sit tuus Andronicus, qui craſſus cæde ſuorum
Addidit ex omni ſtirpe necare probos.
Cujus ad extremum licèt impar pœna reatu,
Mors ſua perpetuo vindice fœda caret.
Sit tuus ille ſenex, qui raptus, ùt Ycarus alis
Occidit, & Pelago flet ſua merſa ratis.
Occidit, ùt quomdam ſeries immenſa Gigantum,
Quîs fuit imperium cura videre Jovis.
Sic & Tancredus multo miſer ebrius auro,
Occidit, in Dominum dum tulit arma ſuum.
Si potes Andronicum civilibus eripe telis,
Si potes alterius Regna tuêre ſenis.
Nam meus Henricus materna ſede ſedebit,
In qua Rex Salomon ſedit in orbe potens,
Talis erit ſedes, ebur uxorabit in auro,
Hoc hominum ſenſus exuperabit opus.

Bis

y *Andronicus*] Vide ſupr. pag. 17.

Bis ſenos habitura gradus Henricia ſedes,
Ex auro ſex, ſex ex Adamante gradus.
Per quos fulveſcent civili more Leones,
Ordine ſuppoſiti juſſa ſedentis agant.
Procedant de ſede throni, res ardua Grifes,
Procedant Aquilæ, ſeu Nucerinus aper.
Procedant rigidi noſtra de ſede Leones,
Procedat Phœnix nuncia pacis avis.
A læva Neptunus aquas caſtigat, & omne
Juppiter à dextris corriget ipſe ſolum.
A læva Citharam moveat Mercurius aure [z],
Quam videns dextra Phœbus in aure legat.
Mars pro ſede ſedens gladiatus territet orbem,
Cogat ad Imperium, ſidera, fata, Deos.

z *aure*,] Hic & ſequens verſus corrupti videntur; quid enim eſſet, *Citharam movere aure?* leg. fortè *auro*, vel *lauro*; quid *Citharam in aure legat?* ego lego *Quam* (citharam) *Phœbus videns dextra inaure regat.*

FINIS.




In altera pagina, quæ & ultima est, hæc verba eâdem manu scripta sunt, Nomen Scriptoris indicantia:

EGo Magister Petrus d'Ebulo servus Imperatoris fidelis, hunc Librum ad honorem Augusti composui; Fac mecum Domine signum novum, ut videant me Tancridini, & confundantur. In aliquo beneficio mihi provideat Dominus meus & Deus meus, qui est & erit benedictus in secula, Amen!

Eodem quoque locô hoc Distichon adscriptum est:

Anno quinque minus numeratis mille ducentis
Cæsar Regna capit, & sua Nupta parit.





INDEX I.

SCRIPTORUM,

Qui in NOTIS citantur.

A.

ANacreon.
Alexander Abbas.
Aetius.

B.

Baronii Annales.
Henr. Baccius.
Bongarſius.
Burmanni Theſaur. Ital.
Busbequius.

C.

du Cange.
Caruſii Bibliotheca Sicula.
Catullus.
Cæſar.
Celſus.
Cicero.
Claudianus.
Chronicon Foſſæ novæ.
- - - Amalphitanum.
- - - Caſaurienſe.
- - - Siciliæ.
- - - Montis Caſſinenſis.

Curtius.
Collenutius.

D.

Dionyſius Halicarnaſſeus.

E.

Euripides.

F.

Falco Beneventanus.
Fazelus.
Feſtus.
Florus.

G.

Gothofr. Monachus.
Guillielmus Tyrius.

H.

Heliodorus.
Hemſterhuiſen.

X Hero-

Herodianus.
Herodotus.
Hesiodus.
Homerus.
Horatius.

I.

S. Johannis Apocal.
Juvenalis.
Isidorus.

L.

Livius.
Lucanus.
Lucretius.

M.

Malaterra.
Franc. Maurolycus.
Martialis.
S. Matheus Evang.

N.

Nicetas.
Nepos.
Nonius Marcellus.

O.

Ovidius.
Otho de S. Blasio.
- - Frisingensis.

P.

Plautus.
Phædrus.
Plinius.
Prudentius.
Petrus Chrysologus.

R.

Reinesius.
Rochus Pyrhus.
Richard. de S. Germano.

S.

Sallustius.
Salvianus.
Seneca.
Silius Ital.
Qui. Smyrneus.
Stumpfius.

T.

Tacitus.
Theocritus.
Thuanus.
Tibullus.

V.

Vellejus Paterc.
Virgilius.
Jac. de Vitriaco.
Gotfr. Viterbiensis.
Abbas Urspergensis.

INDEX II.

INDEX II.

Rerum apud Authorem extantium.

A.

Andronicus interfecit patruelem suum *Alexium.* p. 17.

C.

Capua laudatur ab ubertate soli. 75. 77.
- - Expugnatur à *Richardo.* 84.
Castrum *Jusonis.* 34.
- - Salvatoris. 100.
Celestinus III. Henricum VI. Imp. Romæ coronat. 4.
- - *Tancredo* per litteras imperat, ut *Constantiam* dimittat. 106 - - 109.
Conjuratio in *Henricum* detegitur. 136.
Conjurati in vincula conjiciuntur. 137. 138.
Constantia Rogerii & *Beatricis* filia. 4.
- - nubit *Henrico VI.* Imp. Rom. ib.
- - *Salernum* ingreditur. 36 - 39.
- - multa ibi convitia perfert. 51 - 53.
- - precatur Deum ut perfidos puniat. 58 - 61.
- - capitur à Salernitanis. 65.
- - pretiosissimis se vestibus ornat. 66. 67.
- - *Messanam* ad *Tancredum* devehitur. 68 - 71.
- - *Panormum* inde ad *Sibiliam* mittitur. 86.
- - imperiosè loquitur coram *Tancredi* uxore. 91.
- - in Castrum Salvatoris custodienda ablegatur. 100.
- - libera à *Tancredo* dimittitur. 109.

Corradus Muscancervellus propugnat Capuam. 56. 77.
- - salvus à *Richardo* Comite Capuâ dimittitur. 84.
- - laudes & munera. 148.

D.

Diopoldus, Henrici Cæsaris Dux, S. Germanum invadit. 114. 116.
- - Salernitano Principatui præficitur. 123.
- - laudes ejus. 124.
- - Castellanus est Roccæ arcis. 56. 124.

E.

Eboli fidi in *Constantiam.* 35. 56. 57.
Elias Gisualdi primus manus in *Constantiam* injicit. 63.

F.

Friderici I. expeditio in Orientem, & res ibi gestæ. 150. 151.
- - Exitus ejus. 108. 151.
- - II. Nativitas. 139 - 141.

G.

Gualterius Antistes Panormitanus *Henrico VI.* Imp. favet. 11

H.

Henricus VI. Rom. Imp. coronatur Romæ. 23. 24.

Henri-

Henricus VI. Legationes variorum Principum recipit. p. 25.
- - Montem Casinum in fidem accipit. 28.
- - Capuanus Antistes urbem Capuam illi tradit. 29.
- - Neapolin obsidet. 30. 31.
- - in hâc obsidione febri vexatur. 43. 44.
- - Obsidionem solvit. 48.
- - Classem ad Tancredinos opprimendos undequaque comparat. 117-120.
- - Messanam Fabariamque venit. 127.
- - Panormum ingreditur. 129.
- - veteres Regum Siculorum thesauros aperit. 134. 135.

L.

Lucius III. Henricum VI. Imp. & *Constantiam* matrimonio jungit. 4.

M.

Matthaus Cancellarius *Tancredo* favet. 11. 12.
- - *Tancredum* ad Regnum evehi cupit. 14. 15.
- - litteras ad *Tancredum* mittit, de invadendo Regno. 16. 17.
- - Podagræ dolores humano sanguine fœdat. 17. 64.
- - suadet uxori, ut *Constantiam* Castro Salvatoris includat. 100.
- - oriundus Carthagine. 102.
- - scelera ac fraudes ejus. 101-105.

P.

Panormitanorum Legati ad *Henricum* Imp. veniunt. 127-129.
- - se illius fidei tradunt. ibid.
Philippus Henrici Imp. frater, amore Nurûs Tancredi capitur. 132.

R.

Richardus Angliæ Rex capitur in Germania. 110.
- - *Tancredo* magnam pecuniæ summam extorquet. 111.
- - ad *Henricum*, ad causam dicendam, vinctus ducitur. 112.
- - ab eo absolvitur. 113.
Richardus Acerrarum Comes vulneratur. 32. 33.
- - obsidet Capuam. 77.
- - expugnat eam. 81-84.
- - in cujus expugnatione penè periisset. 84.
- - capitur à Diopuldo. 115. 116.
Rogerius Siciliæ Rex. 1. 2.
- - Uxores ejus. 3. 4.
Rogerius Andriæ Comes Rex Siciliæ destinatur. 11.
- - ejus mores, & mors. 14. 21. 22.

S.

Saladinus Hierosolymam capit. 108.
Salernitani petunt à Cæsare, ut Constantia Salernum habitatum concedat. 34. 35.
- - Principes à Cæsare in castra sua vocantur. 41--43.
- - Constantiæ convitia faciunt. 51--53.
- - eam capiunt. 65.
- - & in Siciliam ad Tancredum mittunt. 68-71.
- - Archiepiscopus eos ad pœnitentiam anteactorum reducere conatur. 121. 122.
Sicilia in potestatem Cæsaris redigitur. 123.
Sudor & sopor signa salutis in febri. 44.

T.

Tancredus, acceptis à Matthæo Cancellario litteris, in Siciliam cum duobus filiis trajicit. 18.

--VNI-

- - vultûs corporisque deformitas in eo taxatur. p. 19. 20. 72. 80.
- - illius coronatio execranda. 20.
- - Tancredi liberi. 74.
- - Constantiam uxori suæ Panormum custodiendam mittit. 86.
- - Epistolam uxori suæ cum Constantia mittit. 88. 89.
- - Uxor Tancredum increpat ob transmissam ad se Constantiam. 93.
- - Is iterum litteras ad uxorem de eadem re mittit. 96.

Tancredi uxor ob adventum Cæsaris vitæ suæ timet. 130. 132.
- - sibi, filio & Nepoti Comitatum Licii pacifcitur. 133.
- - Nurus ejus est Constantinop. Imperatoris filia. 132.

W.

Wilelmus II. Siciliæ Rex moritur. 6. 7.
- - ingens, eô mortuô, Panormitanorum luctus. 8. 9.



INDEX III.
RERUM & VERBORUM,
Quæ in NOTIS explicantur.

A.

ÆS pro pecunia. p. 14.
Albidia uxor Rogerii. 3.
Alexius Comnenus II. 17.
Amictum triouunt Poetæ terræ ac partibus ejus. 59.
Anacletus Pontif. Rom. 2.
Apodixa, quid? 134.
Apro Poetæ comparant certantes in prælio. 78.
Archonticon, quid? 34.
Ardere, de amantibus. 52.
Auguriare pro conjecturare. 42.
Autumnus pro vino. 76.
Avorum nomine quivis majores veniunt. 102.

B.

Beatrix uxor Rogerii. 4.
Bellum pro prælio. 31.
Bibere auribus. 79.
Math. *Burellus.* 28.

C.

Cadere in prælio magna laus. 79.
Cæcus pro latens. 68. 103.
Campaniæ fertilitas & amœnitas. 75.
Canibus compar. impudentes. 61.
Capessere pro capere. 114.
Castra sequi. 49.
Clipeare brachia. 93.
Clipeis varias figuras insculptas habuere antiqui. 118.
Cælestinus III. Pont. Rom. p. 4. *Henricum VI.* Imp. ungit. 23.
Colubris ac Hydris comparantur homines maledici. 56.
Conjuratorum in Henricum gravis pœna. 137.
Conscripta manus, quid? 137.
Conspici, de iis, qui in prælio multis præsentibus egregia facinora patrant. 73.
Constantia Rogerii filia. 4. *Henrici VI.* Conjunx. 4. in custodiam conjicitur. 101. liberatur. 109.
Cornici inimica noctua. 53.

D.

Dativus pro Ablativo. 55.
Demetere caput. 81.
Dextram antiqui dabant ad fidem faciendam. 84.
Deos tutelares antiqui evocare solebant, urbem oppugnantes. 117.
Deus A & O dicitur. 58.
Dies luminis pro lætis. 39. Dies ambigua pro dubia. 58.
Domini nomen olim exosum. 17.
Ducere genus ab aliquo. 102.

E.

Ebolus urbs. 35. unde sic dicta. ibid.

Ensare

Enfare manus pro armare. p. 93.
Enfe cavare, perforare latus. 81.
Efcriniare pro aperire. 134.

F.

Fabaria urbs Siciliæ. 18.
Fallere de terra fterili. 77.
Famofus pro infami. 54.
Fari & fapere infantibus adprecabantur veteres. 152.
Fatum inevitabile. 70.
Flos pro adolefcentia. 36.
Friderici II. annus natalis & nomen. 139. 140.
Frigidus de ignavo, noxio. 69.
Fuit & fugit confunduntur. 39.

G.

Galeare caput pro galea tegere. 93.
Girardus Henrici Imp. Medicus. 44.
Gualterius Archiep. Panormit. 8.
Guillelmus II. Rex Siciliæ 6. ejus obitus. 7.
Guifcardus unde hoc nomen fit? 1. 2.
Gutta idem ac Podagra. 104. Eam fanguine humano fedare folebant. ibid.

H.

H in antiq. codd. fæpè præponitur. 42.
Henricus VI. ejus conjux Conftantia. 4. Romæ in Imperatorem ungitur. 23. ejus in Sicilia res geftæ. 29. Neapolim obfidione claudit, fed infectis rebus recedit. 30. 48. Legatos Salernum mittit. 41.
Heroes olim in mortis periculo verfantes, pretiofis fefe ornabant veftibus. 66.

I.

Iberia olim Hifpania vocabatur. 47. Iberii fluvii. ibid.
Imperiofus, cui parendum eft. 71.
Inexperta Regna. ibid.
Innoxius tam cui non nocetur, quam qui non nocet. 79.
Intoxicare. 22.
Jovis Epitheton Tonans.

L.

Labor pro re ardua, & factû difficili. 49.
Lacrimabilis activè, de eo, qui effufè lacrimatur. 49.
Liliis Poetæ compar. candorem puellarum. 65.
Lucius III. Pont. Rom. 4.
Lyciæ pharetræ, & Lycii arcus olim celebres. 32.

M.

Mapalia & Magaria. 42.
in Margaritis quid commendetur. 67.
Maritus de pecore. 82.
Mars pro Bello. 77.
Matheus Siciliæ Cancellarius. 7. Bigamus appellatur. 16.
Mendax fundus. 77.
Mens pro fententia. 49.
Mile non mille fcribendum. 31.
Mifcere fe dicuntur duo inter fe certantes. 83.
Mitti dicuntur, quæ ex longinquis terris advehuntur. 102.
Mollis greffus in puellis commendatur. 37.
Monachus detexit conjurationem in Henricum. 136.
Moras rumpere. 16.
Mufas invocare Poetis folenne. 83.

N.

Nardo olim Comam inungebant delicatuli. 38.

O.

Opprobria varia in hominem deperditum. 72.
Os pro tota facie. 37. Ore rotundô loqui. 64.

P.

Parapfis. 89.
Parthenope antiquiff. nomen urbis Neapolis. 30.
Pius, de affectu in neceffarios. 50.
Proh! Exclamatio indignantis. 90. 91.

Rapere

R.

Rapere, de avibus rapacibus. p. 45.
Repedare pro recedere. 56.
Res pro opibus, divitiis. 73.
Respicere pro exaudire. 59.
Respondere de terra frugifera. 76.
Richardus Tancredi affinis Neapolim defendit. 30. vulneratur. 32.
Richardus Cerræ Comes, ejus mors. 120.
Richardus Angliæ Rex capitur. 111. magno pondere auri redimitur. 113.
Rofridus Abbas. 28.
Rogerius Andriæ Comes cùm Tancredo de principatu contendit. 11. seq. capitur & interficitur. 21.
Rogerius I. & II. p. 1. Rex eligitur, & Palermi ungitur. 2. ejus res bello gestæ. *ibid.* Uxor Albidia. 3. altera Sibilia. *ibid.* tertia Beatrix. 4.
Ruere de incomposita multitudine hominum. 36. de membris ob ciborum defectum decrescentibus. 95.

S.

Saladinus Saracenus. 108. Hierosolymam ac totam ferè Palæstinam capit. 108.
Secula pro tempore. 104. pro hominibus. *ibid.*
Sedere proprie de judice. 98.
Sensatus pro acumine prædito. 97.
Si pro An. 73.
Sibilia conjux Rogerii. 3.
Sidera Deos esse censebant olim. 70.
Simplex verbum pro composito. 33. 44.
Sol Romanus vocatur Cæsar. 62. Sol novus pro Oriente. 77.
Somnus & sudor in febricitantibus signa salutis putabantur. 44.
Sumere de iis, qui aliquid contrà jus & fas sibi vindicant. 10.
Syncope Poetis frequens. 52.

T.

Tancredus, ejus natales. 11. Panormi Rex ungitur. 19. facie deformis. *ibid.* ex Sibilia tres filias procreavit. 74. in exilium mittitur. 87. Filio suo Rogerio Constantinop. Imp. filiam in matrimonium obtinet. *ibid.* Græcè eruditus fuit. *ibid.*
Tegere pro tueri. 77.
Tentare pro aggredi. 39.
Theobaldi merita in Cæsarem. 124. à Cæsare Comitatu Cerræ donatur. *ibid.*
Trahere pensa, de ancillis. 51. 52.
Tumere de velis. 68.
Tumidus de iratis, superbis & conviciatoribus. 63.

V.

Uber substantivè & adjectivè usurp. 75.
Vernum os. 38. 39.
Ulyssis varia Epitheta apud Homerum. 96.
Ulmus apud Poetas voc. Maritus vitis. 76.
Vittatæ erant apud Romanos puellæ. 37.
Urbani, qui in urbe incolunt.

FINIS.

Paucis admonendus est Lector, *Titulos*, uti vulgò vocantur, qui magno numero per totum libellum occurrunt, non ab ipso Authore, nisi admodum parcè fuisse adscriptos, sed ex Figuris plerumque desumptos, non quòd multum illis insit elegantiæ, cùm contrà squalidam spirent barbariem, sed quòd Historia sæpius non parùm lucis inde lucretur.

Typographi prætereà errata aliquot, iniquó id quidem animó, animadverti, quæ hic verò correxi: In Præf. pag. 5. lin. 1. elegantiarum, *lege* elegantiorum. lin. 9. ergò, *leg.* erga. lin. 11. animarum, *leg.* animorum. pag. 8. lin. 9. commmefacere. *leg.* commonefacere. pag. 8. v. 63. quæstus. *leg.* questus. pag. 56. lin. 16. *γνωσματα*, *leg.* *γνωματα*. pag. 64. lin. 17. professa, *leg.* professus. pag. 79. in lin. 18. in Notis, post verba *Viris fortibus*, adde: apud Dionysium Halicarnasseum. lib. 6. p. 348. Edit. Lips. pag. 129. Not. *b.* cibaliit. *leg.* cibaliis. pag. 151. Nota, *t.* leg. 109.



